DEFENSIO
THEOLOGIÆ SCHOLASTICÆ
Contra Lutherum
PER ENERVATIONEM EIUS THESIUM
VLTRA SEXAGINTA
OPPOSITARUM THEOLOGIÆ
TRACTATIBUS QUINQUE
COMPREHENSA.

AUCTORE
P. GEORGIO
GENGELL
SOCIETATIS IESU

Ex Libris M. Casimiri Jarmundowicz JUD pro Bibliotheca Collegii Juridici Universit. Crac.

****

Leopoli, *Typis Collegii Soc: IESU*
Anno 1713.

ILLUSTRISSIMO
ET
REVERENDISSIMO DOMINO
D. CONSTANTINO FELICIANO SZANIAWSKI EPISCOPO
VLADISLAVIENSI & POMERANIÆ
IN GEDANENSI SOCIETATIS IESV COLLEGIO
SACRÆ THEOLOGIÆ SCHOLASTICÆ
FUNDATORI.
DOMINO DOMINO COLENDISSIMO.

LIBER hic, Præsul Illustrissime *** siâ Tua manu valorem & robur colligit, non tam Defensio, quàm triumphus Theologiæ

logiæ eſt. Quid enim formidabilius occurrit erroneæ ſectariorum conſcientiæ, quàm Antiſtes indeflexa pietate, Conſtantinus; actuoſa dexteritate Felicianus? quia verò in polum Pruſſiæ Aquinaticũ intulit ſolem, ſanè Intelligentia Motrix. Et jam affusô Aquinate uberiùs erumpunt Gedanenſis Rozrazeviani Flores Collegii. At tibi, O decus Gentilitium! Princeps Agne, perpetui veris honorem debebit Religio, cujus liberali exortu, Divinæ ſcientiæ ſol incaluit, ut frigida Novatorum obſtinatio, aut more nivium ſolveretur, aut gravius adiret naufragium in profundo Thomæ, quàm in Balticis aquilonibus. An poterant diviniores ſcientiæ per Te non attolli? cujus laureata fronte quidquid doctiſſimũ eſt, aſſurgit. Emines Theologorum Nomen, & gloria, ſub Tiara; pietate, hæreſeon tonitru; ſtrenuitate, fulmen. Tuo

cẽſetur ingenio, sũma Codicis Angelici. Tuo pectore, velut nova iterum Abyſſo, altitudinẽ Nominis, geminavit Thomas. Vide Illuſtriſſime, quot Titulis Tuum eſt volumẽ, quod tuum expetit auſpicium. Vindicias Theologiæ præfert: occurris Fundator. Solem Angelicũ à Lutheri maculis abſtergit; Quis limpiditate tua plenius illimem perſpexit Aquinatem? Eccleſiæ ſapientiã ab infami calamo propugnat: ades Vindex acerrimꝰ, Religionis Columen, Divorum cultu verior Numa. Gedanum Tuum circũſpice Præſul operoſiſſime, ubi ſe Tuorum munerum Tagus, ſanctiꝰ effũdit. Feriũt vicinæ Urbis oculos, & tantùm non quovis ſaxo lapidant, in Religioſam ædem porrecta mænia: Miſſionarios vocant, quibꝰ tam sũptuoſi lares iaciũtur, fodiũturq́ Tui Nominis monumẽta, Ædi ſacræ Divi Adalberti addita hæc Præſidii manus. Quid plura? pulchrum

 ſpe

ſpectaculũ, illa tẽpla, nuper triſti ſolitudine ac interitu, latè per Pomeraniam & Caſſubiam nituntur è ruderibus, & nitent auro Præſulis ſuffulta: immittunt cælo dives faſtigium, ut crebro lapide ſignẽt iter ad ſuperos immortali munificentiæ. Eſt, quod Geniũ Antiſtitis noſtri, proferendæ Fidei cupidiſſimum, in novas quotidie partitur gratias; labili nõ parcit auro, ingentium operũ molitio, niſi hoc parcere ſit, non profanis laboribꝰ gazam trudere. Neque ſolum auream Præſulis dexterã oſculatur Religio, ſimilem & linguam Antiſtitis experitur. Oblitine ſumus, quanta nuper Animi magnitudine in Cõmiſſione Radomiẽſi, aliiſq; publicis Regni Congreſſibꝰ, pro Aris Superûm peroràſti? pro Divinis Eccleſiarum patrimoniis, detonâſti? Quid? Sanguinem etiã lubens propinabas, ut æſtuantem erga Divorum bona ſitim extingueres, certus etiã fulminibꝰ vincere,

cere,

cere, quos facundæ pietatis oratio non emẽdaret. Iamq; integrâ percrebuit Lechiâ, Illustrissim9 Antistes pro Cælitũ cultu, Divorum æde, tanquã pro Sua domo Orator, ac pro Sacrorum æquitate, innocentia, velut pro Suo Agno, tutelaris S z a n i a v i u s. Eundem jactat Hortẽsium, æstimat Tullium Senatus, Te Præsulem. Quidquid enim cautâ speculatione prædicis evitandũ, futuri conscius, jã præsenti exarmas ratione Orator, serò irrupturam perniciem. Inde est, quòd svadæ Tuæ gratiam plurimũ veneretur Polonia. Traxisti in Ceras illud sidus, quo duce, ipse astrorum error, concordiæ militat, prælucet erraticis luminibus Agnus pulchrius capite, quàm motu.

Manilius. *Consilium ipse suum est Aries, ut Principe dignũ*
Audit se, libramq;.

Par sidus illuxisti Reipublicæ, accurritur velut ad periclitantiũ anchorã: erigis, metũ dissipas, fortunæ labẽ submoves, publicis Cõsulta-

tio

tionib9 in remedia fatorũ deſcendimus? Tu Chiron & Vates, ac ſine cunctatione, melior Fabius. Talem Te nõ mea vilis dictio, ſed popularis clamor, ſed Principum Procerumq́;, ac Potentiſſimi & Sereniſſimi Regis Auguſti, divulgant ſtudia. Quibus pro Te votis nõ certat Nobilitas? tenes cunctorum animos, & affectus, illâ manu, quâ cunctorũ pacem & malaciam demulſiſti. Averſi in contraria vultus, in placidum, Te Arbitro conſpirant nexũ, & ad manſvetudinem ſeſe componunt Aviti, in Iunoſza Illuſtriſſimo, Agni. Euge optabiliorẽ Colchico Arietẽ, qui nõ procellas Helleſpõto, ſed malaciam invehit, turbido in præſens Reipublicæ mari. Quamquam non mare, ſed Altum nuncupari oportuit Lechiam, in qua ſublimis veſtra ſpectatur Proſapia. Excedit Ponti nomen Patria, præ veſtro quodam meritorum oceano. Addite iſtud exoranti Regno beneficium, purpureos Faſces ne ſperni-

te: natale est Illustrissimo Iunosza, tingi murice. Cernimus in Illustrissimo Adamo Szaniawski, Lublinensi Castellano, ingentem Senatoriæ Curulis dignitatem: Szániaviani Nominis Alcidem, Te verò, Illustrissimæ Domûs Atlantem. Signatur Patriæ amplissimis desideriis & honoribus sublimioribꝰ, Ecclesiæ Metropolitanæ Leoburgicæ Canonicus, heroicarum virtutum specimen, altiorum scientiarum Theologiæq; Scholasticæ insigne Decus consũmatum, Felix Szaniawski. Felix inquã, seu secundus, nisi quòd primus quisq́ censẽdus ille, qui Skarbkovianum amorem demeretur ac pretium: et huic, ut sũmam contulisset gratiam, totũ se dedit Illustrissimꝰ & Reverẽdissimus Ioannes Skarbek Archi Præsul Leopoliensis, eximiis de Christi Ecclesia meritis, Divinæq́ zelo gloriæ, facilè Princeps. O meliorem Iasone, Felicem Szaniavium, qui non solùm duntaxat aureum, in Gentilitio Iunosza

Agnum, ſed ipſum etiam tantum occupavit, tulit Paſtorẽ! Perilluſtrẽ verò Reverẽdiſſimũq́ Martianum Szaniawſki, Vilnenſem Prælatum Scholaſticum, heu quot oculis á longinquo ſole proſpectat Polonus Honor, Purpura & Epiſcopales Tiaræ! ſed Pariſinæ laureæ, tenaciſſimè frontẽ alligant, magni Præſulis germanam: hoc ſolatio, ut dũ virtutis Tuæ fama Præſul feliciſſime, creberrimo exteros ſoles implebit præconio, ſpirantẽ habeant Tui vultus imaginẽ Franci, qvẽ tanquã ſuis liliis collactaneũ delibent. Veſtri igitur, præſertim verò Nominis Tui Sereno, cõmunitus liber, publicam lucem non reformidat: fortunat9 & ſeræ memoriæ acceptus, dum Tanti Pontificis Honori militat mecum, qui ſum

ILLVSTRISSIMO & REVERENDISSIMO NOMINI TVO

Devinctiſſimus

Georgius Gengell Societatis IESV.

PROLOGVS

ACcuratè satìs (prævio Superiorum assensu) evolvi ferè omnia vastissima Lutheri volumina, eumq; comperi fuisse Theologiæ Scholasticæ, & Philosophiæ Peripateticæ capitalem hostem; plurimas enim protulit, & scriptô consignauit Theses, ac Propositiones, scientiis illis graviter injuriosas, earumq; doctrinæ, è diametro oppositas: è numero harum Antitheologicarum Thesium, ultra sexaginta delegi, quas amore veritatis, Divinæq; Scientiæ studio, proponere & enervare non incongruum fore duxi. Hic labor est: hoc opus in præsenti; alterum enim librum brevì dein luci publicæ exponam, in quo Propositiones Antiphilosophicæ expugnabuntur. Ut verò certa serie spartam hanc assumerem, sequi libuit Ordinē, quem continet Summa Theologiæ Doctoris Angelici, an Angeli Doctorum, Diui Thomæ, ut etiam hoc à Sole Theologico, clariores essent Vindiciæ Theologicæ. Itaq; in quinque Tractatus digessi Theses collectas. Primus enervabit illas, quæ totam in Universali impugnant Theologiam Scholasticam. 2dus, convellet Antitheologicas Theses, quæ ipsum DEUM, SS. Triadem, & Angelos, petere videntur. In tertio expugnantur Theses, adversæ iis, quæ Beatitudinem, libertatem, Actus humanos, peccata, Leges, Iustificationem, & Meritum, concernunt. 4tum sibi vendicabunt Theses de Fide, Spe, Charitate, Iustitia, Votis Religiosorum. Ad 5tum, illæ Theses revocantur, quæ Mysterium Incarnationis, & Sacramenta Ecclesiæ impugnant.

Hæc erit totius Defensionis series, taliq; Ordine procedendo, Tractatus 1mus & 2dus correspondebit 1mæ Parti Summæ Theologicæ Divi Thomæ. 3tius, 1mæ 2dæ: 4tus, 2dæ 2dæ: 5tus demum Parti 3tiæ: Licèt verò si ad calculum singula exigas, ita Theses per Tractatus digeruntur, ut in uno, viginti, in reliquis 4tuor Tractatibus, solummodo expugnentur singulæ denæ, adeoq; præfixum in Titulo sexagenarium non excedant numerum, si in cumulum easdem colligas: quia tamē sub una eademq; Thesi, etiam alias insectandi Theses sors se quandoq; offeret (ut videre erit in Tractatu 3tio sub Thesi 1ma, 2da, 4ta, 7ma. in 4to, sub 9na. in 5to, sub 2da, 3tia & alibi: Imò quandoq; in una Thesi, plures simul congessi Lutheri Theses: ut patet in Tractatus 2di Thesi 8va, 9na, 10ma, 13. 14.) Ideo facies Libri, ultra sexaginta, plurium promittit Thesium Enervationem. Nec eo inficias, non omnino absimilem olim materiam à Doctissimo Patre Gretsero fuisse expensam in Libro cui titulum præfixit: Lutherus Academicus; sed quia eandem, stylô multùm laconicô prosecutus est: plurimas item ibidem planè prætermisit Theses, & Propositiones

sitiones refellendas, mihi vendicavi hunc laborem: nec fore inutilem spero, facilè enim hic prudens lector intelliget, quantum animo Lutheri virus, quanta menti inscitia, quanta Conscientiæ impudentia hæserit, & quàm procul à vero deflexerint ejus Theses: intelliget itidem quo loco, quovè in pretio habenda Theologia Scholastica, tot errorum convulsiva.

At forsitan, Primò. Occurret legenti, multas hoc libro enervari Theses, quæ in Theologia vix solent delibari. 2do. Incusabit aliquis stylum, nunc hujus, postea & aliarum mearum lucubrationum, quòd minimè sit floridus. 3tio. Dicet quispiam se non posse omnia intelligere. 4to. è contra jactabit fortè alius, se jam omnia olim scivisse, quæ præsens continet Lucubratio. 5to. Objiciet demum quispiam è Lutheri Assectis, Colloquia sympostiaca seu Mensalia, quæ sæpè à me citari solent, non esse ab ipsomet Luthero conscripta. Ad hæc Respondeo 1mo Universaliter Verbis Clementis Alexandrini, Lib: 1mo. stromatum. Nulla scriptura ita fortunata prodit, cui nullus omnino contradicat. & verbis Sedulii. Proferant sua, qui carpere nituntur aliena: promptius est judicare, quàm facere.

Respondeo 2do ad singula. Ad 1mum. Apparet taliter objicientem, parùm versatum esse in Theologia Scholastica: evolvat enim sedulò Divi Thomæ Theologiæ Summam, in eamq; perlustret gravissimorum Theologorum Commentarios, ut Caietani, Valentiæ, Vasquez, &c. legat Scholasticam Theologiam Sapientissimi Becani, & aliorum plurium, facileq; reperiet se errasse. Ad 2dum. Stylus non est omnino horridus, licèt concedam non vernare amænitatibus facundiæ. Tum quia hic Theologum ago, quorum dictio, flores spirare non solet. Non enim (ut loquitur Zacharias Mitylenensis Episcopus, Tomo 4to Bibliothecæ Sanctorum Patrum, folio 143.) nostri Theologi pigmentatis verbis, & verborum luxurie, & atticarum vocum harmonia in compositione & veræ elocutionis mulcent Auditorum aures, verarum demonstrationum inopiâ. Tum quia si credimus Cardinali Baronio: Suspectum redditur, quidquid obducitur fucô, atq; pigmentis: pulchriorq; enitescit ipsâ suâ puritate simplicitas, quæ, quod mentiri nesciat, omne quamvis ad ornatum, compositum velamentum abhorret. Ad 3tium Respondeo cum S: Augustino Lib: 1mo de Trinitate Cap: 3tio. Nullus hominum ita locutus est, ut in omnibus, ab omnibus intelligeretur. Quæ quispiam non intelliget: quærat & discat ab alio intelligentiore, nec eo ipso totũ dãnet; maximè si ea quæ intellexit, aliquo modo placuerint. Meminerit, Socratẽ lectô subobscurô libro Heracliti dixisse: Laudo quæ intelligo, puto & laude digna, quæ non intelligo. ut refert Aristoteles lib: 3tio Rhet.

Ad 4tum. Quicunq; in veritate asserit, perfectè antea jam se omnia scivisse,

quæ

quæ hic conſcripta ſunt, tali gratulor ejuſmodi præhabentiam: is ergo vel retineat hunc librum, ut præhabitâ notitiâ, ſi mente exciderit, habeatur ad manum, unde in memoriam, poſt revocari poſſit: vel potiùs relinquat legendum minùs ſcientibus: cùm tales longè plures haud dubiè reperiantur: Nolo tamen eum tradat omnino indoctis. Neque enim *(ut olim etiam dicebat C: Lucilius)* ſcripta mea à doctiſſimis *(præſertim qui ſibi ſolis videntur doctiſſimi)* neq́ ab indoctiſſimis legi volo; quòd hi, nihil; illi nimiùm ſapiant: *difficileq́; ſit, ut talibus quidpiam placeat. Ad 5tum. Non retulit quidem in chartas Lutherus ipſe, ſua ſympoſiaca Colloquia: verùm, nonne illa* ex Sancto Lutheri ore loquentis, *ut ſcribit Ioannes Aurifaber, diligentiſſimè annotârunt auriti amiciſſimi ejus diſcipuli & Prædicãtes novem, inter quos fuit ipſemet Aurifaber? qui à viventis Lutheri latere vix unquam diſceſſit. Nonne idẽ Aurifaber, grande illud Volumen Colloquiorũ, decem Nobiliſſimis Imperii Civitatibus, Lutheri hæreſi infectis dedicavit, ac in Præfatione ſua dedicatoria, nõne, applaudẽtibus Novatoribꝰ, auſus eſt palam profiteri?* Colloquia illa *(tot craſſis erroribus, tot leviſſimis facetiis referta)* eſſe digna quovis honore & pretio: eſſe pretioſum talentum, theſaurum ingentem Eccleſiæ, *Lutheranæ:* Eſſe item tanquam micas delapſas de menſa Lutheri ſummi Germaniæ illuſtratoris, veriq́ orbis prophetæ, quibus micis, ſuam famem & ſitim ſpiritualem ſedaret Eccleſia.

Porro, etſi facies Libri præfert, Defenſionem Theologiæ Scholaſticæ, minimè tamen abſterreri debẽt à legenda hac lucubratione, ignari Theologiæ: quivis enim Orthodoxꝰ, legendo reperiet, quod ipſum in Sancta Fide firmiter corroboret: Heterodoxus verò, quod à Lutheri doctrina potenter repellat: modò non immemor ſit moniti illius verè aurei à S: Fulgentio dati lib: 1. ad Traſamundum Regem in Africa Cap: 3. Magnum bonum confert inquiſitio veritatis, quæ tamen tunc, deſiderato non fruſtratur effectu, ſi rectis ad veri cognitionem lineis, animus annitatur. *V A L E.*

APPROBATIO

OPus, cui Titulus: *Defensio Theologiæ Scholasticæ contra Lutherum &c.* à Religioso & Reverendo Patre Georgio Gengell Societatis IESV Presbytero, Consummato Theologiæ Scholasticæ Professore, doctissimè concinnatum, cum nihil contra bonos mores, Fideiq; Catholicæ contrarium, contineat: quin imo doctrinam eius ab imposturis Lutheri vindicat, manifestatq; & dilucidè convellit erronea Hæresiarchæ dogmata: Facultatem imprimendi concedo. Datum Leopoli in Aula D.D. Canonicorum Leopoliensium, 25. Ianuarii, Anno Domini 1713.

IOANNES THOMAS IOSEPHOVIC Canonicus, Iudex Surrogatus, Ordinarius Librorum per Archidiæcesim Leopolien: Censor.



FACVLTAS

R. P. Præpositi Provincialis Societatis IESU per Poloniam.

Cum Opus, quod inscribitur *Defensio Theologiæ Scholasticæ cõtra Lutherum &c* à Patre Georgio Gengell Societatis IESV Theologo conscriptum, aliquot ejusdem Societatis Theologi recognoverint, & in lucem edi posse probaverint, potestate mihi facta ab Admodum R. P. Nostro Michaele Angelo Tamburino, præfatæ Societatis IESV Præposito Generali, facultatem concedo, ut Typis mandetur, si iis ad quos pertinet, ita videbitur. Cuius rei gratiâ has literas manu mea firmatas, sigilloq; munitas, dedi Thorunii. 5ta Ianuarii. Anno 1713.

RAPHAEL TACZANOWSKI
m:pp.



ELEN-

ELENCHUS, LUTHERI THESIUM, ULTRA SEXAGINTA, QUÆ IN HOC VOLUMINE, ENERVANTUR.

IN TRACTATU PRIMO.

I.

THeologia Scholastica, est falsa, Scripturæ & Sacramentorum intelligentia: & exulem nobis fecit, veram & sinceram Theologiam.

II.

Quo tempore cœpit Theologia Scholastica, id est illusoria, eodem evacuata est Theologia Crucis, suntq́ omnia plané perversa.

III.

Libidinem corrumpendæ Scripturæ, jam fermè trecẽtis ãnis patitur Ecclesia, incomparabili suo damno, à Doctoribus Scholasticis.

IV

Adolescens vitet Theologiã Scholasticam, ut mortem animæ suæ. Non sunt Evangelia tam obscura, ut pueris nõ possint ea patere.

V

Moneo cum Apostolo: Videte ne quis vos decipiat per Philosophiam, & inanem fallaciam Hanc, ego Scholasticam Theologiã interpretor fortiter & cum fiducia.

VI

Universitatum studia, nullum adhuc Martyrem aut Sanctũ in tot sæculis de tanto numero dederunt, qui probet, eorum institutiones esse Deo gratas, & rectas.

VII

Theologi Scholastici, Aristotelis Moralia, prorsus convenire, mentiti sunt cum Christi, Paulíq́ doctrina.

VIII

Impoßibile est apud Scholasticos Theologos intelligi, quid sit peccatum, fides, justificatio, lex? Nõ sunt hæc in eorum libris.

IX.

Vniversitates, Studia, Collegia, Graduationes, & Magisteria in eisdẽ, sunt vana gentilitate introducta, & tantum prosunt Ecclesiæ, sicut diabolus.

X

Doctoratus Theologiæ, est certum legitimæ vocationis & missionis Divinæ indicium, ad docendum etiam opposita dogmata pristinæ fidei Catholicæ.

IN TRACTATV SECVNDO

I.

Nulla forma syllogistica tenet in terminis Divinis.

II.

Deus immeritos damnat: Iram & severitatẽ spargit in immeritos.

III

Vanißimô commentô dicitur: Prædestinatus potest damnari in sensu diuiso, sed non in composito.

IV

Nihil efficitur per illud dictum: Prædestinatio est necessaria neceßitate consequentiæ, sed non consequentis.

V

Magister sententiarum non satis recte docuit, Eßentiam divinam nec generare, nec generari.

VI

VI

Recte ab Ioachim Abbate reprehenditur Magister sententiarum, quod in divinis, quaternitatem asseruerit.

VII

Nec quidquã facit, Caput, Firmiter de Trinitate Lateranensis Cõcilii, probans Magistrũ & damnãs Abbatem.

VIII

Cũ negare ex Augustino non potuit Magister, substantiam de substantia, sapientiam de sapientia generari, nullo modo potuit negare Essentiam de Essentia, & quidquid de Deo vero tam simile dici potest.

IX

Metuit Magister, ne duæ vel tres Essentiæ dicerentur, si una de alia nasceretur. At similiter illi metuendum fuit, ne duo vel tres Dii fierent, si unus de alio generaretur.

X.

Concedimus, Essentiam in Creatura non dici relative (ut Augustini verbo utar) sed absolute tantũ. Sed cùm substantiam, sapientiam, Naturam, & similia in Divinis, apud Augustinum & Hilariũ, accipi relatiue videret Magister, non erat, cur Essẽtiã negaret relative dici: & ob unũ vocabulũ, tãtas turbas moveret.

XI

Cardinali Cameracensi doctissimo inter Scholasticos, ista determinatio, non injuria valde displicuit.

XII

Omnia suspecta sunt, quæ, ista Abominatio in loco Sancto stans, determinavit.

XIII

Periculosū, & cavendū est, inter Personas & Eßentiā divinam, putare esse aliquā distinctionē: cū sit quælibet Persona ipsißimus & totus Deus. Frustranea est cogitatio & nihili, Scoti & similiū, qui formalē, vel aliam distinctionem, hic finxerūt. Nesciūt quid loquantur & affirment, dum talibus sapientiæ pharmacis, rationem juvare volunt.

XIV

Iste syllogismus expositorius: Pater in Divinis generat, Pater est Essentia Divina: Ergo Essentia divina generat: est bonus, & tamen Præmissæ sunt veræ, Conclusio falsa. & ita ex vero sequitur falsum, contra Philosophiam. Hic syllogismus cōmunis: Omnis Essentia divina est Pater, Filius est Essentia divina, Ergo Filius est Pater: est bonus, sed præmissæ sunt veræ, & conclusio falsa, & verum vero prorsus nō cōsonat.

XV

Prædicti syllogismi non sūt quidē mali vitio formæ syllogisticæ, sed virtute & majestate materiæ, quæ in angustias rationis, seu syllogismorū includi nō potest.

XVI

Si forma syllogistica tenet in divinis, articulus Trinitatis erit scitus, non creditus.

XVII

Optima signa, Trinitatis Divinæ, neglexerunt Scholastici (Theologi) sophistæ, & inepta excogitarunt.

XVIII

Angeli tam boni, quam mali, habent potestatem valide baptizandi, absolvendi a peccatis, & Missam celebrandi.

XIX

Summi & principales Diaboli, sunt Doctores Theologiæ: mediocres vero diaboli sunt Iuristæ XX

Homines ad peccata contra primæ tabulæ Præcepta, excitantur à magnis Diabolis: ad peccata verò contra præcepta secundæ tabulæ, instigantur à Iunioribus diabolis.

IN TRACTATV TERTIO

I.

Beatitudine Cælesti non fruuntur Animæ Iustorum, sed omnes Animæ separatæ à corpore, dormiunt insensibiles, & dormient sic, usq; ad extremum judicii diem.

Sancti, secundum corpora vadunt in Kefer: secundum Animã verò ingrediuntur in cubicula sua in Scheolach.

Certi sumus, Animas impiorum dormire.

II.

Beati omnes in Cælo pares omnino in Beatitudine futuri sunt. Omnes, Beatæ Virgini, in Sanctitate, & meritis, coram Deo, sunt pares.

III

Homo nullum actum sive bonum sive malum elicit, qui procedat ab ipsius libero arbitrio: liberum enim arbitrium est, figmentum in rebus.

IV

Non est verum, quod ignorantia invincibilis a toto excuset. Ignorantia invincibilis est, quod Iudæi crucifixerunt Filiũ Dei. Cicero fuit invincibiliter ignorans Dei.

Peccatum originale, est ignorantia invincibilis

Ignorãtia Dei, & sui, & boni operis, est natura sẽper invincibilis

V.

In omni opere bono, justus peccat.

VI

Nullum opus est tam malum, quod hominem poßit condemnare, nisi solum nõ credere.

VII

Christiano neq; opera, neq; lex necessaria est: quia per fidem liber est ab omni lege.

Liberũ est Christiano homini servare judaica festa, & circũcidi

VIII

Legis divinæ observatio, est impoßibilis.

IX

Sola fide in Christum, efficeris justus, sine ullis tuis operibus, & meritis.

X

Deus merita non respicit: indignos coronat.

IN TRACTATV QVARTO

I.

Fides informis, est mera incredulitas contra Christum.

II.

Extra Synagogam pellendæ sunt istæ barbaræ Sophistarum voces: Fides informis, formata, gratia gratum faciens &c: Sunt enim sumptæ ex Philosophia rationis, & illis obscuratur ueritas Christiana, & nec à docente, nec audiente intelligi possunt.

III

Infusa fides, est merum somnium, & nihil in rerum natura, nisi vocabulum plane fictitium, sicut Chimæra, & Hircocervus.

IV

Fides nunquam est præteritarum rerum, sed semper futurarum.

V.

Quivis Christianus, est interpres Scripturæ Sacræ, & judex ex officio totius fidei, seu doctrinæ Christianæ.

VI.

Non potest vitari præsumptio, nec adesse vera spes, nisi in omni opere timeatur judicium damnationis.

VII

Oportet cor humanum, legem Dei atq; adeo Deum ipsum, supra modum odisse.

VIII

Præliari adversus Turcas, est repugnare Deo, visitanti iniquitates nostras, per illos.

IX

Christianis, præcepto Christi interdictum est, ne contendant in judicio.

Nullus est Dominus Civilis, nullus est Prælatus, nullus est Episcopus, dum est in peccato mortali.

X

Vota Religiosorum, sunt impia, & Deo repugnant.

IN TRACTATU QVINTO

I.

Nihil mirum, si Arius, Iudæus, Mahomet, & totus mundus, negent Christum esse Deum.

II.

Magis disparata est prædicatio: Deus est Homo: quàm si dicas, Homo est asinus.

In

In Theologia, verum est: Verbum esse Carnem factum: in Philosophia simpliciter impossibile & absurdum.

III

Homo & Humanitas sunt synonyma: sicut Deus & Divinitas.

Omnes negant Christum esse compositum, etsi Constitutum affirment.

IV

Ioannes, Cap, 1mo dicit: Verbum Caro factum est. Cum diceretur aptius: (nostro judicio) Verbum est incarnatum, seu Carneũ factum.

V,

Christus ut homo, verè aliqua ignoravit more cõmuni hominũ: vere didicit ea, quæ prius planè nesciverat: ad instar aliorũ, qui prius sibi ignota discunt.

VI

Principio neganda mihi sunt septẽ Sacramenta, & tantum tria pro tempore ponenda: Baptismus, Pænitentia, Panis.

VII

Intentio Ministri non requiritur ad valorem Sacramenti.

VIII

Certum est, remissa esse peccata, si credis remissa.

IX

Negare utrãq; speciem Laicis, est impiũ, & tyrãnicum, nec in manu ullius Angeli, necdum Papæ aut Concilii cujusquam.

X.

Impiissimus abusus est, in Ecclesia, persuaderi Missã esse opus bonum & Sacrificium.

TRA

TRACTATUS PRIMUS

ENERVANTUR LUTHERI THESES, QUIBUS IMPUGNATUR GENERALITER THEOLOGIA SCHOLASTICA.

Thesis 1ma. 2da. 3tia. & 7ma. habentur in secundo Tomo Latino Lutheri, folio 201, inter Articulos, ex libris Lutheri desumptos, & damnatos ab Academia Parisiensi, Anno 1521, 15 Aprilis: aliæ autem Theses, unde desumptæ sint, annotatum est suô locô.

I.

THEOLOGIA SCHOLASTICA, EST FALSA, SCRIPTURÆ, & SACRAMENTORUM, INTELLIGENTIA; & EXULEM NOBIS FECIT VERAM, & SINCERAM THEOLOGIAM.

Mellifluus Doctor S. Bernardus, ad Papam Innocentium II. de Petro Abailardo, recensendo priùs ejus Theses erroneas, inter alia, scribit: *Quid in his verbis intolerabilius judicem: blasphemiam, an arrogantiam? quid damnabilius: temeritatem, an impietatem? an non justiùs, Os loquens talia, fustibus tunderetur, quàm rationibus refelleretur? nonné omnium meritò in se provocat manus, cujus manus contra omnes?.* Simile quid de Luthero, prædictam effutiente Thesim, & secuturas, an non meritò scribendum sit? decernat prudens Lector. Nonne omnium provocat manus? cujus manus (si demas obcæcatos quosdam Hæreticos) est contra omnes? Consensus enim totius Orthodoxæ Christianitatis: tot item fundationes Scholarum altiorum; eximiaque iis Privilegia collata, à Summis Pontifici- *Epist: 190.*

bus, Conciliis OEcumenicis, Imperatoribus, Regibus, Principibus Christianis, per tot retroacta sæcula, deprædicant necessitatem, & utilitatem Theologiæ Scholasticæ. *Verisimilené est* (loquor, paucis immutatis, cum doctissimo & antiquissimo Tertulliano) *ut tot, ac tantæ Ecclesiæ, in unam fidem, erraverint? Aliquos Marcionitas, & Valentinianos* (Lutheristas cum suo Luthero, Calvinistas cum suo Calvino) *liberanda Veritas* (& Theologia vera, ab exilio revocanda) *exspectabat: interea, perperam evangelizabatur* (perperam in scholis altioribus docebatur) *perperam credebatur-tot Sacerdotia, tot Ministeria perperam functa?* tot Academiæ perperam erectæ? &c.

De præscri: Cap: 28.

Quid Theologia?

Quomodo nam falsa Scripturæ, & Sacramentorum intelligentia, censenda est Theologia Scholastica? cum hæc definitiuè, sit: Doctrina certa, ex principiis revelatis, seu utrâq; præmissâ, de fide, vel saltem unâ præmissâ fidei, alterâ naturaliter certâ & evidente: doctrina inquam illativa methodicè suarum Conclusionum, in ordine ad habendam perfectiorem Cognitionem DEI, quatenus, per revelationem cognoscendi?. Constetq; (quidquid temerè in contra obstrepant sectarii) Theologorum Scholasticorum Principem, Vitâ, Eruditione, Modestiâ, scriptionis Claritate, Doctorem Angelicum, Divum Thomam, dum Neapoli ad Imaginem Crucifixi vehementiùs oraret, hanc audivsse vocem: BENE SCRIPSISTI DE ME THOMA. Constet item, eundem S. Doctorem, Sodali suo Fratri Reginaldo, dicere consveviſſe: se scientiam suam (potissimùm verò excellebat in illo, Theologiæ Scholasticæ scientia) non tam studiô aut labore suo, quàm Orationis suffragiô, Divinitus impetrâsse.

Cur nominatur Scholastica?

Porrò. Dicitur, Theologia, Scholastica: Quia (ut notârunt multi) Certa, cum simplicitate quadam sermonis, & verborum, conjuncta methodo, ratiocinatione, discursu, ex Sacris Literis & Traditionibus, Conciliorumq; Decretis, Veritatem deducit, ac discutiendo comprobat: quod cum in Scholis præcipuè comparetur argumentando, nomen SCHOLASTICÆ, sortita est; id est, Disputatricis: Disputationes enim

nim, Scholas vocavit M. Tullius: Scholasticoq; more, seu modo, non multùm absimili ab aliis scientiis, in scholis tradi solitis, procedit circa sua objecta: nec non id præstat, quod nemo rectè præstare valet, nisi exquisitam scientiam, præsertim in Philosophicis consecutus fuerit, acriq; ingeniô, nec mediocris Eruditionis. Unde etiam olim, qui in aliqua doctrina excellebant, appellabantur SCHOLASTICI: ut constat ex S: Augustino, & S: Hieronymus in libro de Scriptoribus Ecclesiasticis refert: *Serapionem* (erat is in Ægypto Episcopus, scripseratq; librum eximiè doctum, contra Manichæum) *ob ingenij elegantiam, Cognomen* SCHOLASTICI, *meruiße.* *Enarr: in Psal: 44.*

Hujus Thesis 1mæ, uberior adhuc Enervatio petenda ex dictis sub Thesi 2. 4. 6ta. & alibi in Libro, cui dedi Titulum DEFENSIO ARISTOTELIS & PHILOSOPHIÆ, In Tractatu 2do, sub Propositione 1ma.

II.

QUO TEMPORE CÆPIT THEOLOGIA SCHOLASTICA, ID EST ILLUSORIA; EODEM, EVACUATA EST THEOLOGIA CRUCIS, SUNTQUE OMNIA PLANE PERVERSA.

THeologia Scholastica, quò ad suam Essentiam spectata, cæpit in Orbe, simul cum recta fide. Nam Munus Theologiæ taliter spectatæ est, ut cum aliis SS. Patribus docet Augustinus lib: 14. de Trinit: cap. 1. Fidem explicare, eam nutrire, contra impios defendere, variis rationibus illam Infidelibus persuadere: quod semper fuit in Ecclesia DEI. Si verò Theologia Scholastica spectetur quò ad suam methodum; certum est, eam non esse omnino novam: licèt enim hæc methodus à Lombardo Episcopo Parisiensi, qui scripsit circa Annum Christi 1140. in meliorem formam redacta sit: magìs autem adhuc in perfectiorem, à Doctore Angelico in summa Theologica: tamen longè antè, non absimili methodo usi sunt antiqui Patres: non solùm S: Damascenus [qui in quatuor libris, à se, scriptis, circa

Munus Theologiæ quod?.

Methodus ejus antiquissima.

Annum 731. uuiversam Theologiam recto ordine comprehendit] S. Anselmus &c: sed etiam ferè omnes alii Patres antiquiores, ut Justinus in Apologiis duabus. Tertullianus in Apologetico. Lactantius in Opere Divinarum Institutionum. Cyrillus Hierosolymitanus in suis Catechesibus. Augustinus, præsertim in Concione ad Catechumenos: contra Judæos, Paganos & Arianos: Item in libro de Fide & Symbolo, ac in Enchiridio. Theodoretus in libris 12. de curandis Græcorum affectionibus &c. hi enim proponebant & explicabant Quæstiones, in iisq; tractandis, utebantur definitionibus, divisionibus, argumentis, principiis etiam naturalium scientiarum, solvebant objectiones, veritatibus Fidei, contrarias, ut patet legenti eorum libros. Imò à temporibus S. Marci Evangelistæ, fuit Alexandriæ SCHOLA ECCLESIASTICA (sic eam nominat Eusebius Lib: 5. Histor: Eccles:) in qua schola, Ecclesiastici Doctores, Theologiæ, & Philosophiæ peritissimi; ut præter alios, Pantænus, Clemens Alexand: Pantæni Discipulus, & Origenis Magister, & ipse Origenes, docuerunt; haud dubiè methodicè, nec multum absimili methodô à moderna: cum talis ratio, tradendi, atq; exponendi fidem, refellendiq; errores contrarios, plurimum conferat ad claritatem, & perspicuitatem doctrinæ, conjunctam brevitati, ut evidens est. Nec præcisè ob novitatem, debet rejici hæc methodus. Tum quia aliàs, omnis methodus rejicienda foret: omnis enim fuit aliquando nova. Tum quia, ob novitatem, deberent quoque rejici bombardæ, & alia arma; quibus Antiqui caruerunt in bellando? rejici item Ars edendi libros, horas diei mensurandi, dirigendi naues ope acûs magneticæ, quæ Artes modò primùm ante aliquot centena annorum repertæ sunt.

Cum igitur (ut ostensum) Theologia Scholastica, quò ad substantiam, cœperit esse simul cum recta fide, quam eadem Theologia nutrit, & defendit, contra impios: Methodus etiam ipsius, sit tam antiqua, & à Patribus practicata, à primordiis fidei Christianæ, ad nostra usq; tempora: Imò, licet esset nova methodus; tamen hæc nihil obesset ipsius utilitati, ut declaratum. Nonne Lutherus proferens illam

The-

Thesim, impudentiæ & calumniæ reus esse convincitur?

Non eo tempore, quô cæpit Theologia Scholastica, evacuata est Theologia Crucis, suntq; omnia planè perversa: sed potiùs id factum est eo tempore, & ab ijs præstitum: quô tempore, & à quibus cæpit doctrina Lutheri prædicari: & à pluribus, à quibus fuit acceptata: ut æternâ memoriâ dignissimus, & in avita Religione orthodoxa tuenda zelozissimus Princeps GEORGIUS, Dux Saxoniæ, Friderici Frater, testatur in literis suis, ad Lutherum datis Anno 1526. ipso Innocentium Festo, quæ exstant Tomo 3tio Jenensi Germanico. *Ex tua (inquit)* & tuorum discipulorum doctrina, renovantur omnes antiquæ, & iam olim damnatæ hæreses: omnis cultus religiosus destruitur, ita, ut à temporibus Sergii (socii Mahometis, in cudenda Mahometica perfidia) major destructio non fuerit. Quando plura commissa sunt sacrilegia, quàm nunc ab evangelii tui ortu? quando plures seditiones, contra legitimum Magistratum, exortæ sunt, quàm ex tuo evangelio? quando magis pauperes oppressi, & Sacræ Ædes spoliatæ & expilatæ? quando plura furta & rapinæ, commissa? quando plures Apostatæ Monachi, & Apostatrices Moniales, Vitebergæ fuêre? quàm modo? quando maritis ablatæ sunt uxores, aliisq; desponsatæ, quàm nunc, post natum tuum evangelium? quando plura adulteria patrata, quàm post tua scripta evulgata? si uxor à marito suo fæcunda reddi nequeat, jubetur ire ad aliū, fructumq; proferre; sic tamen, ut prior maritus illam alat, eodemq; jure gaudet vir. Hoc evangelio tuo, acceptum referri debet. &c.

Quanta perversitas ex Doctrina Lutheri emanavit, recensetur.

Erasmus etiam (qui optimè de visu noverat fructus evangelii quinti, & Evangelicorum) scribit in Epistola ad Pseudo Evangelicos. Profer mihi (*inqvit*) quem istud evangelium ex comessatore, sobrium; ex feroci, mansuetum; ex rapaci, liberalem; ex maledico, benedicum; ex impudico, reddiderit verecundum? Abiectus est, cum jeiuniis, ciborum delectus; sed interim gnaviter indulgetur crapulæ: & ita quidā effugerunr judaismum: ut cæperint esse, Epicurei. Protritæ sunt cæremoniæ; sed nihil accessit spiritui; imò multùm decessit. Circumspice-

mi

' mihi sodalitatem istam Evangelicam; quot habet adulteros? quot temulentos, quot aleatores, quot decoctores, quot aliis vitiis infames? & hos quidem habent etiam in deliciis; tantum abest, ut vitent. Apostoli quò magis vacarent Evangelio; aut abstinebant ab uxoribus, quas ducere tunc licebat: aut legitimè ductas, vertebant in sorores. Nunc floret evangelium, quòd Sacerdotes, & Monachi, contra leges certè humanas, contra Professionem suam, ducunt uxores.

Et Epist. Lib: 20 Epist. ad quendam Monachum. Video (inquit Erasmus) genus hominum, qui jactant libertatem Evangelicam exoriri, à quo meus animus vehementer abhorret; Neminem video fieri meliorem, deteriores omnes, quotquot ego sanè noverim: ut vehementer doleam, me quondam in meis libris prædicasse libertatem spiritûs; quanquam id bono animo feci, nihil minus suspicans, quàm hujusmodi populum exoriturum. Optabam sic aliquid decedere cæremoniis humanis, ut multùm accresceret veræ pietati: nunc sic excutiuntur illæ, ut, pro libertate spiritûs, succedat effrenis carnis licentia. Civitates aliquot Germaniæ implentur erronibus, desertoribus Monasteriorum, Sacerdotibus coniugatis, plerisq; famelicis, ac nudis: nec aliud, quàm saltatur, editur, bibitur, ac subatur: nec docent nec discunt: nulla vitæ sobrietas: ubicunq; sunt, ibi jacent omnes bonæ disciplinæ, cum pietate. Nec ab hoc judicio Erasmi videtur dissentire ipsemet Lutherus, in sua enim Postilla, Dominicâ Ima Adventûs, ait: *In luce clara Evangelii, homines sunt magis injusti, magis crudeles, magis scandalosi facti sunt, quàm fuerant in Papatu.*

Melãthon & Calvinus in Theologiam injuriosi.

Ex dictis patet, quid respondendum sit ad illud, quod in Apologia adversùs decretum Parisiensium (exstat Tomo secundo Lutheri, folio 202.) calumniosè scripsit Melanthon: *Constat natam esse Lutetiæ, profanam illam Scholasticen: quam, Theologiam vocari volunt: quâ admissâ, nihil salvi reliquum* est *Ecclesiæ, Evangelium obscuratum est: fides extincta. &c.* Item, Quidnam dicendum ad illud mendax Calvini scriptum Lib: 3. Instit: cap: 2. *Innumera mala, Scholasticis acceptum*

referri par est: qui, velut obductô velô, Christum texerunt. Demum & ad illius Lutheri effati stolidi partem præcipuè ultimam: *Medicina facit ægrotos: nam Medici excogitant morbos- Mathematica facit mæstos: Theologia peccatores.* Tomo 2do Colloq: Mens: Tit: de Artibus.

III.

LIBIDINEM CORRUMPENDÆ SCRIPTURÆ, JAM FERME TRECENTIS ANNIS PATITUR ECCLESIA, INCOMPARABILI DAMNO SUO, A DOCTORIBUS SCHOLASTICIS.

EDissere in sacrilegam libidinem effuse Luthere, & simul demonstra (sed quomodo potest demonstrari propriè calumniosa falsitas?) quænam Ecclesia? & in qua Orbis parte latens, ante adventum tuum? & à quibus in particulari Doctoribus Scholasticis, in quibusvè locis scripturæ, passa est Ecclesia, incomparabili damnô suô corruptelam scripturæ?. Id omnino certum est, Librorum scripturæ Sacræ Canonem approbatum ab Innocentio 1mo in Epist: 3. ad Exuperium cap: 7mo. Augustino lib: 2. de Doctrina Christiana cap: 8. & aliis Patribus: approbatum item à toto Concilio Carthaginensi 3tio, Canone 47. cui Concilio interfuerunt 217. Episcopi: à Concilio Romano sub Gelasio Papa: à Florentino in Instit: Armen: Tridentino sess: 4ta, totaq; ab Ecclesia Orthodoxa, Certum inquam est, non tantùm summa temeritate à Luthero rejectum esse: ast insuper ab eo, in Divinos Libros variasq; eius partes, gravia probra impudenter jacta fuisse. Innuo aliqua desumpta ex Colloq: Mens: Tit: de libris Antiqui & Novi Testamenti: & Tit: de Patriarchis & Prophetis. *Argumentum Libri Iob, est ferè, ut Argumentum fabulæ. Non credo facta omnia esse, eo modô: quô in libro Iob, referuntur. Magna pars libri Tobiæ est figmentum Judaicum. Liber Judith non est historia, sed Pòëma, seu figmentum. Liber Ecclesiastes est sicut Talmuth. Librum secundū Machabæorum, & librum Esther odi, ut cupiam nullo modo exstare: quia*

Lutherus conviciator Scripturæ Sacræ, & corruptor.

quia nimis judaizant, & habent multos ethnicos mores malos.

In Procemio in Epist:. *S. Jacobi Epistola, verè est straminea Epistola.* *Ad Hebræos Epistola, mihi videtur ex variis consarcinata frustis: neque de uno ordinatè agens.* In Præfat: in Apoc: *Librum Apocalypsis, nullo modo, animadvertere possum, à Spiritu Sancto profectū esse.* Similia plura scommata vide in libro meo cui titulus: ADMIRANDA LUTHERI. in Tractatu 2do. cap: 4to.

Insuper. Nonné Lutherus corrupit Scripturam Sacram? Utiq; ad illa verba Apostoli ad Roman: 3. ARBITRAMUR IUSTIFICARI HOMINEM PER FIDEM. utpote bonorum operum hostis, addidit, SOLAM: quasi diceret S. Paulus: sola fide, sine ullis omnino operibus, justificamur. & ex illo textu 2. Petri 1. MAGIS SATAGITE, UT, PER BONA OPERA CERTĀ VESTRAM VOCATIONEM & ELECTIONEM FACIATIS: ademit *Ly.* PER BONA OPERA. In gratiam item Arianorum, ex prima Epistola S. Ioannis cap: 5. ademit textum hunc. TRES SUNT QUI TESTIMONIUM DANT IN CÆLO; PATER, VERBUM, & SPIRITUS SANCTUS, & HI TRES UNUM SUNT: licet hic textus exstet in omnibus antiquis emendatioribus Bibliis.

Ast quis enumeret corruptelas omnes à Luthero, Scripturæ Sacræ, intentatas? Hieronymus Emserus, Præfatione Annotationum in Novū Testamentum Lutheri, scribit: Lutherum, omnibus ferè libris, singulisq; propè capitibus, Biblia falsificâsse; ac propè mille quandringentos errores hæreticos, mendaciaq; occultâsse, atque immiscuisse: Alii, adhuc plures, Lutheri, annotârunt errores. Imò ipse, Bucerus Apostata, Dialogo contra Melanthonem ait: Lutheri lapsus, in vertendis, explanādisq; scripturis manifestos esse, nec paucos. Quin etiam ipsi Osiandrici non verentur Luthero objicere, ab ipso, plerosque Scripturæ Sacræ Textus, malitiosè & dolosè depravatos fuisse.

IV.

ADOLESCENS VITET THEOLOGIAM SCHOLASTICAM, UT MORTEM ANIMÆ SUÆ. NON SUNT EVANGELIA TAM

OB-

OBSCURA; UT PUERIS NON POSSINT EA PATERE.

Lib: contra Latomum. Tomo 2do. folio 250.

NOn animæ; sed hæresum mors est Theologia Scholastica; & phreneticorum medicina: ut autem phrenetici Medico, & medicinæ, validissimè obluctantur; sic Lutherus, & Hæretici, adeò furiosè insurgunt contra Doctores Scholasticos & Theologiam Scholasticam: stante enim hac, *Hæreses* consistere nequeunt. Quod olim S: Hieronymus super Ezech: scripsit de Dialectica, id verè de Theologia dici potest: *Quidquid in sæculo perversorum Dogmatum est, quidquid ad terrenam sapientiam* (oppositam rectæ fidei) *pertinet, & putatur esse robustum: hoc, Dialecticâ Arte* (veriùs, à Doctrina Theologica) *subvertitur, & instar incendii, in cineres favillasq; dissoluitur.* Si Doctrinâ Theologiæ Scholasticæ, destituerentur Orthodoxi, facilè ab hæreticis circumventi, captiosis argumentis, in eorum errores prolaberentur. Unde sacrilegum & audax Buceri dictum illud: *Tolle Thomam, & dissipabo Ecclesiam.* Constatq; per experientiam, in illis locis fidem veram defecisse, in quibus recta Theologia Scholastica defecit.

Hæretici, cur Theologiæ infensi?

Quomodonam veritati conforme, Theologiam, ut mortem animæ, esse vitandam? siquidem Divus Franciscus Seraphicus (quem sæpè ipsemet Lutherus, Virum pium & Sanctum appellat) in Testamento suo, reliquit suis observandum Monitum istud: *Debemus honorare & venerari Theologos, quia ministrant nobis Spiritum & Vitam.*

S. Franciscus æstimator Theologiæ.

Evangelia si ita facilia sunt, ut pueris patere possint? quorsum ergo S. Augustinus de Consensu Evangelistarum libros quatuor conscripsit? Quorsum Commentarii in Evangelia, & à Novatoribus ipsis tot Expositiones? Cur dicebat Lutherus (ut refert Aurifaber in Colloq: Mens: Tit: de Verbo DEI) *Neminem cogitare debere, quòd vel modicè Scripturam olfecerit: nisi centum annis Ecclesiam, cum Prophetis, Ioanne Baptista, gubernârit.* Imò biduò ante mortem, propriâ manu Islebii scripsit in charta, verba Latina hæc: *Virgilium, in Buccolicis, ne-*

S. Scriptura non omnino intellectu facilis.

mo potest intelligere, nisi fuerit quinque annis Pastor: Virgilium in Georgicis, nemo potest intelligere, nisi fuerit quinque annis Agricola; Ciceronem, in Epistolis, nemo integrè intelligit: nisi, viginti annis, sit versatus in Republica aliqua insigni. Scripturas Sanctas, sciat se nemo degustâsse satìs: nisi centum annis, cum Prophetis, ut Elia, Eliseo, Ioanne Baptista, CHRISTO, & Apostolis, Ecclesiam gubernârit,

Hanc tu ne Æneida tenta,
Sed Vestigia pronus adora.

Nos sumus mendici. Hoc est verum. 16. Februarii Anno 1546. Ita testatur amicissimus Lutheri discipulus idem Aurifaber Prædicans: habeturq́, id in Colloq: Mens: cap: 1mo Edit: Franc: An: 1567. Plura vide in Tractatu 4to sub Thesi 5ta.

V.

Coloss: 2.

MONEO CUM APOSTOLO: VIDETE, NE QUIS VOS DECIPIAT, PER PHILOSOPHIAM, & INANEM FALLACIAM. HANC EGO SCHOLASTICAM THEOLOGIAM INTERPRETOR FORTITER, & CUM FIDUCIA. Ibidem ubi prior, contra Latomum.

Quā Philosophiam damnat S. Paulus?

SEd non ita Patres interpretantur. Clemens Lib: 1. strom: censet, hìc tantùm damnari Philosophiam Epicuri; quæ tollit Providentiam; & summum bonum constituit in voluptate carnis. S. Augustinus lib: 8. de Civit: cap: 9. & 16. S. item Chrysostomus in Commentario in illum locum S. Pauli, docent: ab Apostolo reprehendi (idq́; ipsum satìs colligitur ex eadem Epistola) Philosophiam illam, quæ sit Inanis fallacia, & superstitio gentilitatis, variis erroribus fidei contrariis, depravata. Talem verò Philosophiam refellunt maximè Theologi Scholastici. Porrò, veram Philosophiam naturalem, non tantùm non respuit S. Paulus: sed eam potiùs, ut donum Dei, deprædicat. *DEUS enim*, (inquit ille ad Roman: 1:) *illis manifestavit.*

Tertullianus, lib: de anima. cap: 3. Philosophos appellat quidem:

Patriarchas Hæreticorum: sed illorum Hæreticorum, qui Philoſophorũ errores, non ad Regulam Fidei dijudicârunt & rejecerunt, verùm eos amplexi ſunt. Unde potiùs, malitioſus abusus Philoſophiæ, vel ſuperbia, vel libido, vel conjunctim hæc omnia, genuerunt hæreſes: non Philoſophia ipſa, vel ejus rectus uſus. At, quid tam ſanctum, tam utile reperitur, vel neceſſarium: quô, malitia humana abuti non poſſit?.

Concedo tamen (nec laudo) ab aliquibus minoris notæ Theologis, tractari quandoque, & quidem ampliſſimè, ſupervacaneas, curioſas multùm & ſpinoſas ineptasque quæſtiones: gravioris autem momẽti & perneceſſarias quæſtiones, nonnunquam decurtatim, nimiſq; jejunè tractari. Verùm. Nunquid ipſa vitis, exſcindi debet, quòd aliqui ejus palmites, ſint minùs uvis gravidi? vel arbor frugifera eradicari, quòd ipſius quidam luxuriantes rami, non ſint frugiferi?.

VI.

UNIVERSITATUM STUDIA, NULLUM ADHUC MARTYREM, AUT SANCTUM, IN TOT SÆCULIS, DE TANTO NUMERO DEDERUNT, QUI PROBET EORUM INSTITUTIONES, ESSE DEO GRATAS & RECTAS. Ibidem contra Latomum.

VNiverſitatum ſtudia, ſi nullum Sanctum dederunt. Cur ergo tu ipſemet Luthere, in Reſolutionibus de Indulgentiis, ſæpè Beati & Sancti Titulô, exornas Thomam & Bonaventuram, Doctores Scholaſticos?. Quin, in Reſponſione ad librum Ambroſii Catharini prope finem, annumeras Bonaventuram Viris Sanctiſſimis: aſſeriſq;, quòd fuerit Vir incomparabilis, in quo multum fuit Spiritûs, præ omnibus, qui ex Academiis ſervati ſunt. Nunquid Antonius Patavinus, Edmundus Cantuarienſis, Joannes de Matha, Bernardinus Senenſis, Vincentius Ferrerius, &c. nonnè inquam hi Sancti, & ſimul in Theologia Scholaſtica fuêre verſatiſſimi?. Beatus Joannes Cantius, miraculis & pietate conſpicuus, utiq; in alma Academia Cracovienſi, pu-

Ex Univerſitatibus plurimi prodiêre Sancti.

Publicum Professorem Theologiæ Scholasticæ egit?.

Quis dubitare prudenter potest? tempore persecutionis, ex schola Ecclesiastica Alexandrina, multos prodiisse Martyres? Nonné Petrus, Ordinis Prædicatorum, à Manichæis, ob fidem occisus, & in Academia antea versatus? Post Lutheri autem, & Calvini tempora: ò quot Sanctos, Universitatum Studia dederunt! Salesium, Thomam de Villanova, Cajetanum, Bertrandum, Pium V. Ignatium, Xaverium, Borgiam, Aloysium. &c. Sanctitate & prodigiorum gloriâ, insignes! Quot Martyres, pro veritate Ecclesiæ Orthodoxæ, ab Indis, Japonibus & aliis barbaris, crudeliter interempti! Ab ipsis Hugonottis, in sola Gallia, intra breve tempus, supra quinquies mille Sacerdotes, lentis & atrocibus suppliciis interfecti sunt: ut refert, præter alios, Surius in sua Historia. Quot, in Anglia, & aliis Europæ Partibus! quorum Martyrum maximam partem, Universitatum studia dederunt.

VII.

THEOLOGI SCHOLASTICI, ARISTOTELIS MORALIA, CONVENIRE PRORSUS MENTITI SUNT, CUM CHRISTI, PAULIQUE DOCTRINA. Inter damnatas Theses ab Academia Parisiensi.

Doctrina Aristotelis, non in omnibus convenit cũ Doctrina Christi D: & S. Pauli.

QUàm impudens mendacium! quis hoc unquam ex Theologis asseruit? quòd, prorsus, seu omnia moralia Aristotelis, omnimodè, conveniant cùm Christi doctrina?. utique Christus Dominus (ut alia plurima prætercam Capita Doctrinæ Ejus, & Divi Pauli) docet? Diligendos inimicos, pro iis orandum: bene faciendum illis qui oderũt nos. Beatos esse pauperes spiritu: mundos corde: & eos, qui persecutionem patiuntur propter justitiam. S. Apostolus, nonné docet? Bonum esse mulierem non tangere: mortificanda voluntariè membra nostra. Quidni scripsit 1. ad Corint 6? Nolite errare, neque fornicarii, neque idolis servientes--neque fures, neque avari, neque ebriosi, neque maledici, neque rapaces, Regnum Dei possidebunt &c. Omnino similem doctrinam

nam tradi ab Aristotele in suis moralibus, censuitné vel unus Theologorum Scholasticorum?. Qnanquam satis exploratum est, (ut bene notârunt Parisienses Doctores) Moralia Aristotelis, cum Christi, Pauliq; Doctrina, in multis, consentire. Hinc ipse Melanthon, in Disputatione de discrimine Evangelii & Philosophiæ ait: *Aristotelis Philosophia, rectè judicat de fine bonorum, & ratione uirtutum.* & in Epitome Philosophiæ Moralis: *Hoc* (inquit) *nomine etiam amanda sunt Aristotelis Ethica, quòd unus vidit, ac deprehendit, Virtutes, esse mediocritates: quâ descriptione eruditissimè monet, impetus animorum, ad moderationem, flectendos & retrahendos esse.*

VIII.

IMPOSSIBILE EST, APUD SCHOLASTICOS THELOGOS INTELLIGI: QUID SIT PECCATUM, FIDES, IUSTIFICATIO, LEX? &c. NON SUNT HÆC IN EORUM LIBRIS.

Thesis 27. Tomo 1. Lat: Viteb: in Disputatione Theologica. fol: 412.

Tractant Theologi de peccatis, fide, Iustificatione, lege.

QUanta mendaciorum portenta! omnia hæc, de peccato, Fide, Justificatione &c: dilucidè & solidè tractantur à Doctoribus Scholasticis, Lombardo, Scoto, Ægidio Romano, Joanne Parisiensi, Durando, Gersone, Tostato, & aliis, præcipuè verô à *S.* Thoma. Hic Angelicus Doctor, 1. 2. à q. 71. usque ad 89. inclusivè, tractat de peccatis: & q. 71. a. 6. ponit Conclusionem hanc: Cùm peccatum nihil aliud sit, quàm actus humanus malus, rectè à Beato Augustino definitur: Esse dictum vel factum, vel concupitum, contra Legem æternam. ,
& 2. 2. q. 4. a. 1. quærit: Utrum hæc sit competens fidei definitio: Fides est substantia sperandarum rerum, argumentum non apparentium.
Et ponit Conclusionem sub his terminis. Ista verba: Fides est substantia sperandarum rerum, argumentum non apparentium, à B. Paulo prolata, commodam Fidei definitionem efficiunt:.cujus, cæteræ omnes, quæcunque de fide dantur definitiones, sunt explicationes.

1. 2. q. 113. a. 1. habetur Conclusio ista: Ea justificatio, quæ fit per modum simplicis mutationis, non est remissio peccatorum, sed solùm justitiæ acquisitio: quæ verò dicitur impii justificatio, cùm, per modum motûs de contrario in contrarium fiat, est remissio peccatorũ cum acquisitione justitiæ. 1. 2. q. 19. a. 1. dicit. Lex, est quædam regula, & humanorum actuum mensura. & Quæstione 91. ostendit, legem dividi in quatuor membra: nempe, in legem æternã, naturalem, divinam & humanam: prædictarumq; Conclusionum probationes & explicationes, affert claras & validas, cum sufficienti solutione objectionum in contra. & en Lutherus asserit: impossibile esse, ea intelligi, nec in ullis scholasticorum libris illa contineri!.

IX.

VNIVERSITATES, STVDIA, COLLEGIA, GRADVATIONES & MAGISTERIA IN EISDEM, SVNT VANA GENTILITATE INTRODVCTA; & TANTVM PROSVNT ECCLESIÆ, SICVT DIABOLVS.

Quãtum odium Lutheri in studia, & eorum gradus, Tituloſq;.

ASseruit enim Lutherus, Tomo 2do in Assertionibus Articulorum Articulo 30mo: Omnes prorsus articulos Ioannis Hussi, damnatos à Concilio Constantiensi, sessione 15ta., *esse Evangelicos & Christianos*. Porrò. Inter articulos Ioannis Hussi, erat 25tus comprobativus omnium, sine ulla exceptione, 45. articulorum Vicleffi; damnatorum itidem ab eodem Concilio Constantiensi, Sess: 8va: ex quibus articulis 45. Vicleffi, est 29nus supra citatus; scilicet: *Universitates Studia, Collegia &c.* Idem etiam Lutherus Lib: de abroganda Missa privata. & lib: contra Catharinum ait: *Universitates studiorum, sunt Idolum Moloch.* Academiæ *sunt diaboli tabernæ, & lupanaria.* Nomina, & tituli graduum, & pilei Doctorales, *sunt infernalium apocalypticarum locustarum Coronæ.* Omniaq;, ad initium sui evangelii quinti, Lutherus solis Bibliis, fide & illustratione cœlesti, confici volebat.

hinc

hinc etiam factum, ut Andreas Carolstadius (fuit is, Archidiaconus Vitebergæ, & Theologiæ Doctor, ipsiusq; Lutheri ad Doctoratum promotor) hoc Lutheri novo enthusiasmo percitus, creando postea duos alios Doctores Vitebergæ, palam dixerit. *Scio me malè agere, quòd duos hos promoveo Doctores; at in posterum polliceor, etiam juramentô interpositô, me nulli amplius insignia Doctoralia collaturum.* Ut refert ipse Lutherus, In Colloq. Mens, Tit: de bonis Artibus. Nec ampliùs, Doctor Carolstadius, sed tantùm *Frater Andreas* vel *Frater Carostaldius* vocari voluit: imò habitu, & operâ factus rusticus, terram vomere proscindebat; ligna de sylva & carbones, Vitebergam vehebat ad vendendum. Philippus etiam Melanthon, anima Lutheri, vir aliàs multiplici eruditione satis præditus (ut ait Prateolus) abjecto Philosophico pallio, pistor factus est: quanquam is postea, ad saniorem aliquantum mentem rediit. In Academia item Vitebergensi multis annis intermissæ fuerunt promotiones, & insignium Magistralium, & Doctoralium collationes, quin & Scholæ penitùs aliquamdiu clausæ. *Nonne* (inquit Erasmus Epist: ad Fratres Inferior: German:) *damnabat Melanthon aliquando scholas publicas? nonné passim & publicè clamabat Pharellus: omnes humanas disciplinas, esse inventa diaboli? Nonné Lutherus scripsit, omnem disciplinam tam practicam, quàm speculativam esse damnatam? omnes scientias speculativas, esse peccata, & errores?* Falsitatem prædictæ nonæ Thesis patenter demonstrant dicta superiùs & infra. Imò ipsemet Lutherus illam suam Thesim improbat: nam postea anno 1538. postridiè Nativitatis Domini, publicè pro Concione *Monebat populum in templo, ut cæremonias, quæ in Academiis & scholis observantur, & usurpantur, magni æstimarent ad laudem & gloriam DEI, & ad utilitatem Religionis ac Reipub: ut Iuventus intelligat: ad quid bonæ & ingenuæ disciplinæ conducant.*

Carolstadii Insipientia, & Melãthonis.

Vitebergæ studia intermissa.

Dein ipsi Novatores, nonne illam Thesim evidenter damnant, & evertunt? Dum sibi tot Universitates, Academias, erexerunt: vel olim Catholicas, violentè occupârunt: sibiq; Nomina & Titulos Gra-

duum Academicorum contulerunt, & conferunt, Doctoralique pileo insigniri ambiunt.

Quid Doctoratus?

Nota, quòd Doctoratus Theologiæ, vel Philosophiæ, nihil aliùd sit, quàm publicum & authenticum testimonium, quô, qvis publica auctoritate, certisque moribus ac Cæremoniis, declaratur idoneus, ad Theologiam vel Philosophiam docendam, deque harum scientiarum quæstionibus respondendum. Baccalaureatus Theologicus vel Philosophicus, est prima, in Theologia, vel Philosophia, diligentiæ & industriæ positæ, publica quædam testificatio, quâ ornantur, simul & incitantur, qui jam aliquod specimen peracto examine, profectûs sui, in rebus Theologicis, vel Philosophicis, exhibuerunt. Licentiati verò in Theologia, vel Philosophia dicuntur, quibus potestas data est ab Academico Cancellario, vel Pro-Cancellario, capessendi insignia Doctoratûs, in Theologia vel Philosophia. Porrò, quandonam ejusmodi Graduum, & Titulorum Academicorum introductio facta sit, incertum est. Communiter tamen censetur, initium factum esse, circa annum 1130. sub Lothario 2do Imperatore. Hoc tamen certùm, à Gẽtilitate vana, introducta non esse magisteria, & has graduationes: nullus enim unquam veterum scriptorum, meminit: apud Gentiles, Doctores Theologiæ, vel Philosophiæ, creatos esse simili ritu, & cæremoniis, quales adhiberi solent nunc in Academiis.

X.

DOCTORATVS THEOLOGIÆ, EST CERTVM LEGITIMÆ VOCATIONIS & MISSIONIS DIVINÆ INDICIUM; AD DOCENDVM, ETIAM OPPOSITA DOGMATA, PRISTINÆ FIDEI CATHOLICÆ.

SUb his quidem formalibus terminis, non legi prolatam esse à Luthero Propositionem hanc: est tamen sub omnino æquivalentibus terminis ab eo conscripta. Nam Tom: 5. Ienen: Germ: In Episto-

la

la contra Clancularios, & Angulares Prædicatores scribit: *sæpè dixi, & adhuc dico: nollem pro meo Doctoratu, totius Orbis terrarum opes mereri. Nam, ita me Deus amet, mihi tandem, animô prorsus cadendum, & in re adeo ardua, quæ in me tota recumbit, desperandum omninò foret: si eam, ut clancularius quispiam, sine vocatione & mandato: id est sine meo Doctoratu aggressus essem.* & in Colloq: Mens: Tit: de Ministris. & Tit: de Diabolo. Scribitur, Lutherum dixisse: *Certè, hoc me Argumēto: Vocatus non es: sæpè diabolus enecâsset: nisi Doctor fuissem. Multum negotii, mihi exhibuisset diabolus: si non fuissem Doctor.* Matthæsius etiam, Lutheri intimus commensalis & Prædicans, Conc: 1. de Luthero. Doctoratum eius, dicit esse *publicam & ordinariam Vocationem.* Hutterus item ait: *Doctoratus, est certum testimonium Vocationis ad Ministerium.*

Doctoratū suū quanto in pretio habet Lutherus.

Quomodo stante hac Lutheri Thesi 10ma, possint cōsistere aliæ Theses superiores, penitùs non video. Cùm enim hæc Thesis 10ma, intelligenda sit de Doctoratu Theologiæ Scholasticæ (nam Lutherus solùm habuit eiusmodi Doctoratum) qvomodo ergo verificabitur? *Graduationes, tantum prodesse Ecclesiæ sicut diabolus.* id est: multùm obesse. Quomodo Theologia Scholastica, erit *inanis fallacia? Mors animæ? corruptela scripturæ? evacuatio Crucis? falsa scripturæ & Sacramentorum intelligentia, & expultrix veræ & sinceræ Theologiæ?*

Ast his prætermissis, prædicta decima Lutheri Thesis, quòd sit graviter erronea

Probatur 1mò. quia aliàs etiam Carolstadius fuisset legitimè vocatus à DEO, ad sua Dogmata propalanda: nam fuit, non solùm Doctor Theologiæ, verùm etiam, ipsum Lutherum anno 1512. die S. Luciæ creavit Doctorem: exstatq; Tomo 1. Lutheri Epistolarum Latinarum, Epist: 102da, in qua hæc scripta, leguntur. *Eruditissimo viro, & præstantissimo D. Andreæ Bodensteyn Carolstadio, Sincerioris* Theolog*iæ Assertori facilè primario, Præceptori ac Magistro suo in Christo.* His tamen non obstantibus, idem Lutherus, Anno 1521. de Carolstadio ad

Carolstadius Lutheri promotor.

Quid de Carolstadio & Calvinistis Lutherus sentit: item de Academia Vitebergensi.

Lincum Scripsit hæc. *Certum est ei interdicere suggestu, quod ipse temeritate propria, nulla vocatione, invitis Deo & hominibus conscendit.* Imò eum, omnibus planè fortunis exutum, ex tota expulit Saxonia. Aliàs item, esset legitima vocatio Oecolampadii, Apostatæ Sacramentarii. (erat enim etiam is, Theologiæ Doctor) Doctores item omnes Calvinianæ Sectæ, essent legitimè vocati; quod tamen nullo modo admittit Lutherus, qui omnes Sacramentarios vocat, *perdiabolatos, superdiabolatos, transdiabolatos hæreticos.* ut habetur in Colloq: Mens: Tit:, de hæreticis. Multò autem magis, Doctores nostri Catholici omnes deberent agnosci pro legitimè missis à Deo, ad fidem Orthodoxam promovendam, cùm sint & longè antiquiores, & longè doctiores hetherodoxis.

Probatur 2dò. Quia Lutherus in Catholica Academia Vitebergæ fuit Doctor creatus: iam autem ille, Academias omnes & Promotiones, Graduationes, & Magisteria in eisdem, docuit, vana gentilitate introducta, & tantum prodesse Ecclesiæ sicut diabolus. Doctoratum, item, asseruit esse *Larvam diaboli*, & *characterem bestiæ*; scholas, & Academiam Vitebergensem, *Stabulum asininum.* Libro enim adversus Papatum, folio 475. dicit. *Ego Doctor Martinus adhuc vivo, qui in schola, & stabulo Asinino Papæ, educatus, & Doctor* Theologiæ *creatus fui.* Et Tomo 2do Lat: Epist: ad Spalatinum folio 111. dicit. *Creari Doctorem* Theologiæ*, est fieri stultum.* Quomodo ergo Doctoratus potest esse legitimæ vocationis divinæ testimonium?.

Lutherus, Doctoratu privatus.

Accedit 1mò. Quòd Lutherus, Doctoratum hunc amisit per degradationem, à Leone enim 10mo Pontifice Maximo, anno 1523tio, Nonas Januarii, omni Doctorea dignitate, & privilegiis privatus est. Item ab Imperatore Carolo 5to, anno sequenti, ut ipse Lutherus agnoscit: etenim scribit in libro adversùs falsò nominatum ordinem Episcoporum: *Quandoquidem per Papalem, & Cæsaream indignationem, titulis meis exutus sum, & character ille bestiæ, de qua in Apocalypsi, mihi tot Bullis erasus & deletus est: sic, ut neque Doctor Theologiæ,*

gia neq; quidquam eiusmodi creaturæ humanæ, & Papisticæ vocer amplius, non valde iis honorum damnis sum territus: talis enim fuci, talium personarum humanarum, me, omnium maximè semper puduit coram DEO.

Accedit 2dò, quòd Lutherus sit privatus pileô Doctorali, stultusq; vocari debeat: dixit enim (ut refertur in Colloq: Mens: Tit. de Novo Testamento) *Multi laborârunt, & conati sunt, & conando sudârunt, ut Epistolam S. Jacobi, cum S. Paulo concordarent: Sicut & Philippus in Apologia, aliquid de hoc tangit, sed non seriò, quia ex diametro adversâtur sibi ista. Fides justificat: Fides non justificat. Qui hæc concordare potest, huic imponam meum pileum Doctoralem, & feram, ut stultus appeller.* Cùm ergo SS. Patres, præsertim S. Augustinus lib: de prædestinat: Sanctorum cap: 7. & in Præfatione Psal: 31. & alibi: item plurimi Catholici Doctores & Scriptores, facillimè ostenderint, nullam esse inter utrumq; Apostolum, Oppositionem (Fides enim sine operibus, eã præcedentibus, justificat: ut vult S. Paulus: licet Fides non justificet sine operibus, eam sequentibus, quæ in fide infundantur, ut sunt actus timoris, spei, amoris, & pænitentiæ: & hoc vult S. Jacobus) sequitur, actum esse de Lutheri Doctorali pileo, proinde & Doctoratu: ac æquo animo ferre debet: si stultus appelletur. Imò ipse Hunnius successor Lutheri in suggestu Vitebergæ, in Examine cap: 18. lib: 1. Bellarm. ait: Facilis est conciliatio utriusq; Apostoli, animadversô utriusq; scopô & consiliô. Idem asserunt & Calvinistæ.

Qualiter appellandus?

Accedit 3tiò. quia Academia Vitebergensis fuit erecta à Friderico Duce Saxoniæ anno 1502. & eodem anno à Raimundo Cardinali, nomine Pontificis approbata & dein anno 1508. à Julio 2. Papa, confirmata, fuitq; ab annum usq; 1518. inclusivè, Papistica: Rector enim & Doctores illius, ad Fridericum, 9. Calend: Octobris, 1518. (ut exstat Tom: 1.) scripserunt. *Ante õnia mirificè placet, quòd Illustrissima Celsitudo tua, simpliciter & purè defert, honorem Ecclesiæ ac Summo Pontifici. Neq; nos unquam aliud sapiemus: nihil enim antiquius ducimus judiciô*

Academia Vitebergæ quando erecta?

Fuit Catholica, ultra ãnum 1518.

S. Romana Ecclesia. Cùm ergo fuerit Papistica Academia, & Lutherus dum in ea Doctor crearetur, juravit, se, fidem illam defensurum, quam tunc profitebatur Academia, quà ratione, vi Doctoratûs, ipsi collata fuit potestas docendi oppositum huic fidei? imò, allegando Lutherus Doctoratum suum, pro novitate suæ Doctrinæ, allegat perjurium à se commissum.

TRACTATUS SECUNDUS

ENERVANTUR ANTITHEOLOGICÆ LUTHERI THESES DE DEO, SS. TRIADE, ET ANGELIS.

I.

NULLA FORMA SYLLOGISTICA TENET IN TERMINIS DIVINIS. Thesis 47. In Disputatione habita Vitebergæ Anno 1517. exstat Tom 1. fol: 56.

Forma Syllogistica tenet in materia concernente fidei dogmata.

QUòd forma Syllogistica teneat in materia concernente DEUM & Fidei dogmata, patet in Syllogismis (ut innumeros prætercam) his. Qui dicit se esse, est. Sed DEUS dicit se esse. (*Ego sum, qui sum.* Exod. 3tio) Ergo DEUS est seu existit. 2. Inter quæ intervenit Oppositio Producentis & Producti, illa distingvuntur à se (Nihil enim se ipsum producere potest, saltim quoad ιmò esse) Sed inter DEUM Patrem, & Filium æternum, intervenit Oppositio Producentis & Producti. (juxta illud Psal: 2di. *Filius meus es Tu, Ego hodie genui te*, Et Psal: 109no. *Ex utero, ante Luciferum genui te*, Ergo DEUS Pater & Filius æternus distingvūtur à se. 3. Omnis Filius hominis, habet

ani

animam humanam. Sed Christus Dominus, est Filius hominis. (Sic enim se ipsum sæpè appellat in Evangelio) Ergo Christus Dominus habet animam humanam. 4. Qui Actu aliquem custodit, vel interficit, vel educit è carcere, ille existit: saltim illo tempore, quò id facit. Sed Angeli id præstant: ut constàt ex scriptura. Psal. 103. 4. Reg: 19. Act. 5. Ergo Angeli existunt. Nullus item est afferibilis Syllogismus, iuxta regulas Dialecticæ ritè formatus de rebus divinis, qui non teneat, seu malè concludat: illi enim, qui à Luthero afferuntur, probantes oppositum: vitiosi sunt, ut videre est sub Thesi 14.

Quod si asserat Lutherus, vel ejus Patronus, multas veritates Fidei Christianæ, esse contra principia lumine naturæ nota: & ideo formam syllogisticam, utpote principiis eiusmodi infundatam, non tenere in Divinis. Respondendum est, id omnino esse falsum. Nam Concilium Lateranense sub Julio 2do & Leone 10. celebratum, expressè Ses: 8va dicit. *Cùm verum, vero minimè contradicat: omnem Assertionem, veritati illuminatæ fidei contrariam, omnino falsam esse definimus* Et Divus Thomas Lib 1. contra Gentiles cap: 7. *Quia* (inquit) *solùm falsum, vero contrarium est: ut ex eorum definitionibus inspectis, manifeste apparet: impossibile est, illis principiis, quæ ratio naturaliter cognoscit, veritatem fidei contrariam esse. Quidquid principiis naturaliter notis contrarium est, est Divinæ Sapientiæ contrarium: non igitur à Deo esse potest. Ea igitur, quæ ex Revelatione divina, per fidem tenentur, non possunt naturali cognitioni esse contraria.* Quod ipsum confirmat S. Thomas testimoniò Divi Augustini, qui in 2do libro super Genesim ad literam cap: 28. dicit sic. *Illud quidem, quòd veritas patefacit, Libris Sanctis, sive Veteris Testamenti, sive Novi, nullo modo potest esse adversum.* tandemq; concludit Doctor Angelicus sic: *Ex quo evidenter colligitur. Quæcunq; Argumenta, contra fidei Documenta ponantur: hæc, ex principiis primis naturæ inditis, per se notis, non rectè procedere.*

Verum semper Cōsonat Vero.

Accedit. Quòd ipsemet Lutherus Thesim illam suam 47mam,

ever

evertat, ibidem, per Thesim subsequentem 48vam. *Veritas* [inquiens] *Articuli Trinitatis, non repugnat formis Syllogisticis*. Si enim Articulus de Trinitate, non repugnat formis Syllogisticis; quomodo verum erit? Nullam formam syllogisticam esse idoneam, ut eâ comprehendi queat materia divina, & ad fidei Dogmata spectans. seu quod idem: ut teneat in terminis Divinis.

II.

DEUS IMMERITOS DAMNAT, IRAM ET SEVERITATEM SPARGIT IN IMMERITOS. Libro de servo arbitrio: contra Erasmũ.

Deus innocentes non damnat.

QUemnam, oro, immeritum, ab origine mundi, per tot millia annorum damnavit, DEUS? Rudentibus inferni, Angelos detractos in tartarum tradidit cruciandos. Ast quos Angelos? nonné peccantes, in quibus reperit pravitatem, qui non servârunt suum Principatum? Dathan, Abiron & Core, descenderunt vivi in infernũ, operti humô. At in pænam ambitionis, rebellionis, inobedientiæ. In extremo Judicio dicet Christus: *Ite maledicti &c.* sed causam damnationis, assignat demerita: *Esurivi enim &c:* Infantes qui moriuntur in nova Lege, sineBaptismo, nõ salvãtur: quia omnes in Adam peccaverunt: omnes in iniquitatibus concepti sunt.

Dictæ Thesi contradicit expressè scriptura sacra. Osee 13. *Perditio tua ex te Israel.* Ezech: 33. *Dicit Dominus: Nolo mortem impii.* Psalmo 24. *Universæ via Domini, misericordia & veritas.* Sapien: 12 de Deo dicitur: *Cùm sis justus, justè omnia disponis: ipsum quoq; qui non debet puniri, condemnare, exterum æstimas à tua virtute.* S. Apostolus. 1. ad Timoth. 2. scribit: *DEUS omnes homines vult salvos fieri.* Mandat Christus Dominus Luc: 6. *Estote misericordes, sicut & Pater vester misericors est.* Pulchra Sanè misericordia! immeritum damnare: Iram & severitatem spargere in immeritum.

Damnant illam Thesim & Sancti Patres, ex quibus S. Augustinus Epi-

pist: 106. ad Paulinum ait. *Quemquam verò immeritum, & nulli peccato obnoxium, si DEUS damnare creditur: alienus ab iniquitate, non creditur.* Fulgentius lib: 1. ad Monimum cap: 26to *Notum* (inquit) *est Iram DEI, dici non posse, nisi ubi creditur, hominis iniquitas præcessisse.*

Vide plura in libro meo, cui titulus: Admiranda Zvinglii & Calvini. in Tractatu 3. cap: 2.

III.

VANISSIMO COMMENTO DICITUR: PRÆDESTINATUS POTEST DAMNARI IN SENSU DIVISO: SED NON IN COMPOSITO. Thesis 31, In Disputatione Viteb: anno 1517. exstat Tomo 1.

ILLUD dictum Theologorum, explicari solet sic. Si ab homine v.g. Alexio, qui supponitur esse prædestinatus, divideretur, seu auferretur, seu non esset Prædestinatio, tam formalis, seu activa, quàm obiectiva, & passiva, posset damnari: licet in sensu composito, seu componendo, conjungendo Prædestinationem cum Alexio, non possit damnari. Non possit inquam ex suppositione consequente: Supponitur enim ille, qui est prædestinatus ex adultis, liberè consensurus esse auxilio supernaturali finali. Dico. Ex suppositione consequente. Quia de facto is, qui est prædestinatus, actu potest potentiâ antecedente, non cóoperari auxilio finali (siquidem ei liberè cóoperatur) & sic potest potentiâ antecedente, dividere à se ipsam Prædestinationem, proinde damnari. *In quo sensu Prædestinatus damnari potest.*

Porrò, propriè & strictè sumpta Prædestinatio formalis, seu activa, juxta S. Augustinum lib: de bono Perseverantiæ cap: 14. est *Præscientia & præparatio beneficiorum DEI, quibus certissimè liberantur* (intellige ex massa perditionis) *quicunq; liberantur.* In idem recidit definitio prædestinatonis, à S. Thoma data, hæc. 1. p. q. 23. a. 1. *Est ratio transmissionis creaturæ rationalis in finem vitæ æternæ.* Prædestinatio verò objectiva, & passiva, latè sumpta: Sunt omnia conducentia *Quid Prædestinatio?*

ad

ad beatitudinem: strictè sumpta, sunt media entitativè supernaturalia, vel extrinseca, ut Christus Dominus, Sacramenta, vel intrinseca, ut habitus & actus Supernaturales, gratiæ efficaces: strictissimè verò sumpta, est finalis perseverantia in gratia in hac vita, & gloria in æterna. Taliter ex sensu communi explicata propositio, nonnisi insipienter appellari potest, Vanissimum Commentum, ut per se patet.

IV.

NIHIL EFFICITUR PER ILLUD DICTUM. PRÆDESTINATIO EST NECESSARIA, NECESSITATE CONSEQUENTIÆ, SED NON CONSEQUENTIS. Thesis 32. exstat ibi, ubi immediatè superior.

NEcessitas Consequentiæ (juxta Dialecticam) est necessaria connexio Conclusionis cum præmissis, & hanc infert assensus datus in præmissis, debetq; esse in omni rectè formato syllogismo. v. g. in hoc. Quem Deus prævidit peccaturum, ille peccabit. Sed Antichristum, DEUS prævidit peccaturum. Ergo Antichristus peccabit. In hoc Syllogismo, non est necessitas consequentis. nam prædicatum Conclusionis, non necessariò inest Subiecto: Antichristus enim liberè, non necessario peccabit. Idem patet, in Syllogismo hoc. Quem ex adultis, tempore Antichristi, hîc in terra victuris, Deus prædestinavit ad gloriam, ille amabit Deum. Sed v.g. Petrum, victurum hîc in terra, tempore Antichristi, DEUS prædestinavit ad Gloriam (ut supponitur) Ergo Petrus amabit Deum. Petrus ille, certè liberè non necessariò amabit Deum. Per illud ergo dictum: *Prædestinatio est necessaria, necessitate consequentiæ, non consequentis.* declaratur, consistere libertatem actionum nostrarum, stante Prædestinatione, vel Reprobatione: quod est verissimum.

Prædestinatio non tollit libertatem.

V. *MA-*

V.

MAGISTER SENTENTIARUM, NON SATIS RECTE DOCUIT: ESSENTIAM DIVINAM, NEC GENERARE, NEC GENERARI. Thesis 15. in Disputatione de Mysterio SS. Trinitatis. exstat Tom: 1. Lat: Viteb: fol: 418.

IDEM Lutherus Tom: 3. in Psal: 22. Propositionem hanc: *Essentia Dei nec generat, nec generatur*: vocat portentum, & non secundùm Spiritum Veritatis determinatam à Concilio.

Lõbardus cur magister sententiarum dictus.

Præmitto. Quòd Petrus Lombardus, Episcopus Parisiensis, antonomasticè dicatur Magister sententiarum: Tum quia collegit in libris quatuor, sententias Sacrorum Theologorum: fecitq; ex iis Theologiæ compendium. Tum quia in omnes Psalmos Davidicos, & in omnes S. Pauli Epistolas, ex sententiis Ambrosii, Hilarii, Augustini, Cassiodori, & Remigii, Suppressis eorum nominibus, collegit Commentarios eruditissimos. Hunc unum Petrum Lombardum, quidam Stancarus, Polonus Minister Hæreticus, in libro de Trinitate à se edito, rectè judicat, pluris esse faciendum, quàm centum Lutheros, ducentos Melanthones. hoc præmisso.

Rectè definitum est Essentiã divinam nec generare, nec generari.

Dico, rectissimè id docuit Magister sententiarum. Hanc enim doctrinam approbauit, & esse veram, definivit Oecumenicum Concilium Lateranense sub Innocentio III. celebratum Anno 1215. verba Concilii sunt hæc, cap. 2do. *Damnamus & reprobamus libellum, sive tractatum, quem Abbas Joachim edidit contra Magistrum Petrum Lombardum de Unitate seu Essentia Trinitatis, appellans ipsum Hæreticum & insanum, pro eo, quòd in suis dixit sententiis: quomodò quædam summa Res est, Pater & Filius & Spiritus Sanctus,* & *illa non est generans, neq; genita, nec procedens.* & Paulò post. *Nos autem sacro & universali Concilio approbante, credimus & confitemur cum Petro, quòd Una quædam summa Res est incomprehensibilis quidem & ineffabilis, quæ veraciter est Pater & Filius & Spiritus Sanctus,*

tres simul Personæ, ac singulatim quælibet earundem, & ideo in DEO Trinitas est solummodò, non quaternitas, quia quælibet trium Personarum est illa Res, videlicet substantia, Essentia, siue Natura Divina, & illa Res, non est generans, neq; genita, nec procedens, sed est Pater, qui generat; Filius, qui gignitur; & Spiritus Sanctus, qui procedit: ut distinctiones sint in Personis, & unitas in Natura.

Ratio etiam clara est. Quia si Essentia divina generat, & generatur, Sequitur, duas esse realiter Essentias (adeoq; plures Deitates) idem enim à se ipso generari, seu produci nequit. Hinc Concilia, & SS. Patres, contra Sabellium, ex scriptura Sacra probant, Personam Patris, & Personam Filii, esse duas Personas distinctas inter se realiter: quia Filius producitur à Patre: Certumq; est apud Theologos: Nullum dari fundamentum, realiter distinguendi prædicata divina necessaria, præter Oppositionem, producentis & producti. Quod enim aliud fũdamentum? Non enim competit prædicatis divinis necessariis, aliqua incompossibilitas, vel limitatio, vel separabilitas realis, ut certum est. Ioannes Vigandus, Lutheranus, ad fulciendam sui Lutheri opinionem, affert (ut ipse quidem putat) demonstrationem hanc: Filius Dei, est genitus secundùm Scripturas: & Filius Dei est Essentia quædam viva, non figmentum, secundùm Scripturas. Ergo Essentia, secundùm Scripturas, gignitur, & proinde etiam gignit.

Argumentum allatum, nullius est roboris; sed (ut benè notat Bellarminus Lib: 2, de Christo cap: 7. nec diffitetur Lambertus Danæus Calvinista & alii heterodoxi: vide Gretss: Tom. 2. Defens: Bellarm: hic) laborat fallaciâ Accidentis. Nam Filius licet includat Essentiam, tamen ab ea distinguitur, vel ratione (vel juxta alios, formaliter: aut virtualiter intrinsecè; vel inadæquatè extensivè, seu in tertio: vel alio modo, propter relationem, quam dicit præter Essentiam) & quatenus ab ea distinguitur, convenit ei generari, quod non convenit Essentiæ; sicut Pater includit eandem Essentiam, sed similiter distinguitur ab ea, propter relationem Paternitatis, quam habet præter Essentiam, & id-

circo Pater generare dicitur; Essentia, non dicitur.

Nota. Certum esse, Naturam Divinam non distingui realiter immediatè, & adæquatè à Personalitatibus Divinis: puta, à Paternitate, Filiatione, & Spiratione Passiva. Hanc veritatem definivit Eugenius 3tius in Concilio Rhemensi contra Gilbertum, cognomento Porretanum, Pictaviensem Episcopum, qui inter alia docuit: Personalites Divinas, non esse intra Naturam Divinam per identitatem, sed extrinsecùs illi affixas. Verba hujus Concilii celebrati anno 1148. sunt ista. *Credimus & confitemur, simplicem Naturam Divinitatis, esse Deum ipsum, unum Deum, unam Divinam Substantiam, esse tres Personas confitemur. Credimus & confitemur, solum Deum Patrem & Filium & Spiritum Sanctum, æternum esse, nec aliquas omninò res, sive relationes, sive proprietates, sive singularitates, vel unitates dicantur, vel alia hujusmodi, adesse DEO, quæ sint ab æterno, & non sint DEUS.* Hinc & S. Bernardus Lib: 5to de Consid: cap: 8. ait. *Personarum Proprietates, non aliud, quàm Personas, & Personas ipsas, non aliud, quàm Unam Essentiam, Unamq; Substantiam & Naturam Divinam, Fides Catholica confitetur.* Ratio etiam hujus ipsius veritatis est. Tum quia, si Personalitates Divinæ distingvuntur realiter immediatè adæquatè à Natura Divina, seu Deitate, Personalitates Divinæ non erunt realiter Deus (sicut quod distinguitur realiter adæquatè ab Essentia humana, non est homo: & quod adæquatè realiter distinguitur ab Essentia Angelica, non est Angelus) Ergo Personalites Divinæ, erunt Creaturæ; proinde Divina Persona erit quid compositum ex Creatura & Essentia, seu Natura Divina: Quod nullus Christianus audet dicere. Et hôc Argumentô, Divus Bernardus ita convicit prædictum Gilbertum, ut errorem suum in Rhemensi Concilio retractaverit. Tum quia, si Personæ Divinæ distinguerentur realiter immediatè & adæquatè ab Essentia divina, daretur in Deo quaternitas: darentur enim verè quatuor res distinctæ immediatè realiter, cùm tamen fides doceat, & Concilium Lateranense definiverit (ut vidium supra) in Deo, non dari quaternitatem, sed solummodò Trinitatem: scripseritq;

Natura divina nō distinguitur realiter adæqnatè à Personalitatibus.

pridem ante, Divus Athanasius in Epistola ad Epictetum: *Pudenda Hæresis est, quaternitatem ullo modo pro Trinitate inducere.*

VI

RECTE AB JOACHIM ABBATE REPREHENDITUR MAGISTER SENTENTIARUM, QUOD IN DIVINIS QUATERNITATEM ASSERUERIT. Thesis 16. exstat ubi superior.

Non sequitur quaternitas ex doctrina Lōbardi.

JOACHIMUS, Abbas Florensis, Ordinis Divi Benedicti: ut Tritemius scribit: vel forsan alterius Ordinis (ut suspicatur noster Antonius Possevinus in suo Apparatu) natus in Calabriæ Oppido Galliæ, imposuerat Lombardo, quòd ex ipsius doctrina sequatur, in Deo quaternitatem esse admittendam: deducendo id ex quibusdam ejus verbis. Verùm hæc deductio, tanquam falsa, reprobatur à Concilio Lateranēsi, ut patet ex dictis. Et meritò. Qua enim ratione ex Lombardi doctrina sequatur quaternitas: siquidem illud Vnum identificans sibi tria supposita, realiter immediatè à Personis non distinguit ipse, sed immediatè realiter adæquatè intēsivè identificatum esse verè Personis asserit.

Ioachimus nō fuit formalis hæreticus.

Nota. Quòd idem Joachimus hortatu Lucii 3tii, ac deinceps Urbani 3tii, & Clementis 3tii, Summorum Pontificum imperiô, Expositionem Apocalypseos, & Concordiam utriusq; Testamenti, aliaq; Volumina scripserit: in quorum initio, se eam fidem tenere, quam Romana tenet Ecclesia, constanter asserit: jubet verò, quæcunque scripserit, aut scripturus sit, ut Sanctæ Sedis Apostolicæ judicio subjiciantur, quæ, illa approbet, rejiciat, emendet. Et Honorius 3tius successor Innocentii 3tii, in Epistola sua ad Episcopum Lucaniæ (ut videre est apud Possevinum in Apparatu) scribit. Ioachimus omnia scripta sua,
„ ipsi Prædecessori nostro, assignari mandavit, Apostolicæ Sedis approbanda judiciô, vel etiam corrigenda: dictans Epistolam, cui propriâ manu subscripsit, in qua, firmiter confitetur, se illam Fidem tenere, quam Romana tenet Ecclesia, quæ disponente Deo, Mater est cunctorum

rum fidelium & Magistra. Hinc deducitur, Ioachimum non fuisse formalem hæreticum: licet aliquas Propositiones docuerit, damnatas postea à Concilio Lateranensi.

VII.

NEC QUIDQUAM FACIT CAPUT. FIRMITER DE TRINITATE (Lateranensis Concilii) PROBANS MAGISTRUM & DAMNANS ABBATEM. Thesis 17. ibidem.

CUR, Nec quidquam facit in materia fidei sententia definitiva totius Concilii Generalis legitimi? (quale defactò fuit illud Lateranense: nihil enim veraciter ostendi potest; quod ei defuerit, ad esse legitimi & Generalis? vide infra Thesi 8ctava) Utiq; ejusmodi Concilia, sunt Compendium quoddam totius Christi Ecclesiæ? qvæ est *Columna & firmamentum veritatis* 1. Timot: 3. Iudiciumq; Generalis Concilii, est ultimum judicium Ecclesiæ: ut dicit S. Augustinus Epist: 162. Porrò contra Joachimum, qualis sententia & judicium fuerit Concilii totius Lateranensis, audiatur. Cap: 1. habet hæc: *Firmiter credimus & simpliciter confitemur, quòd unus solus est verus Deus, æternus & immensus, omnipotens, incommutabilis, incomprehensibilis, & ineffabilis, Pater & Filius & Spiritus Sanctus: Tres quidem Personæ, sed una Essentia, Substantia, seu Natura simplex omninò.* Capite verò 2do. Quod incipit. *Damnamus & reprobamus &c.* probat Magistri doctrinam, damnat verò Abbatis, qui Abbas videtur docuisse, tres Personas, esse tres Essentias, Deumq; esse unum unitate per Collectionem, sicut dicitur Ecclesia esse una, ut sat clarè colligitur ex Concilii verbis his: *Unitatē hujusmodi* (id est Essentiæ, Substantiæ, Naturæ) *non veram & propriam, sed quasi collectivam & similitudinariam esse fatetur* (Joachim) *quemadmodum dicuntur multi homines, unus populus, & multi fideles, una Ecclesia.* Deinde docet Concilium, aliter esse unum Fideles Christi, aliter tres Personas divinas. *Cùm* (inquit Concilium) *Veritas pro fidelibus suis Patrem orat: Volo, inquiens, ut ipsi sint unum in nobis, sicut*

Lateranēse Cōciliū legitimum.

Quidnā definivit cōtra Ioachimū.

&

& Nos Unum sumus: hoc nomen, unum, pro fidelibus quidem accipitur, ut intelligatur unio charitatis in gratia: pro Personis verò Divinis, ut attendatur in Natura Unitas. Si quis igitur sententiam, sive doctrinam præfati Joachim, in hac parte defendere, & approbare præsumpserit, tanquam Hæreticus ab omnibus confutetur.

Doctrina Joachimi erronea esse probatur.

Et certè satis validè hæc erronea doctrina Joachimi confutatur. 1mò ex scriptura sacra. Deut: cap: 4. *Dominus ipse est Deus, & non est alius præter unum.* Et cap: 32. *Videte, quòd Ego sum solus, & non sit alius præter Me.* Psal: 85. *Tu es Deus solus* Marci 12. *Unus est Deus, & non alius præter eum.* 1. ad Corinth: 8. *Scimus, quòd nullus est Deus, nisi unus &c:* Quæ propositiones essent falsæ, si existerent plura Individua Deitatis: sicut falsum est, quòd in mundo unus solus homo existat, quia existunt plura individua hominis.

2dò. Confutatur Auctoritate SS. Patrum. S. Dionysius Areopagita cap. 2do de divinis nominibus. ait: *Deum esse summè simplicem, & excellentissimè unum, & identitate præstantem omnibus.* Et cap: 5to de Natura Divina dicit: *Una simplicitate superlatiuè omnem duplicitatem excludente.* In Symbolo S. Athanasii dicitur. *Patris & Filii & Spiritu Sancti una est Divinitas.* Et in Præfatione Ecclesiæ. *Et in Essentia unitas, & in Personis proprietas.* S. Augustinus Lib: 5. de Trinit: cap: 9no *Non audemus* (inquit) *dicere, unam Essentiam, tres Substantias: sed unam Essentiam, vel Substantiam, tres autem Personas.* S. Bernardus lib: 5. de Consid: cap: 7mo. ait: *Tam simplex Deus, quàm unus est: est autē unus & quomodò aliud nihil, si dici potest, unicissimus est. Inter omnia quæ rectè unum dicuntur, arcem tenet Unitas Trinitatis, quâ tres Personæ, una substantia sunt.* Richardus à S. Vict: lib: 2do de Trinit: cap 19no. *In illa verè & summè felici Divinitate, est summa & Substantialis Unitas.* S. Thomas, Q. 10. de Potentia, articulo 2. ad 2. docens ex S. Damasceno, tres Personas Divinas, ita ferè distingui, sicut plura individua unius speciei; addit: *Nisi quòd natura speciei, per generationem multiplicetur in rebus creatis. Processio autem in divinis, ad multiplicatio-*

nem

nem Hypostasum, in quibus Natura divina, Una numero invenitur. Similia habent alii SS. Patres & Concilia.

3tiò Confutatur ratione. Tum quia aliàs tres Personæ divinæ, nō essent unus essentialiter Deus, seu propter unam realiter substantiam, sed tantùm moraliter; propter Consensum in Potentia, Scientia, & Volitione. Quod favet Tritheistis. Et insuper nullum esset prorsus ineffabile, & supra omnem captum omnis omninò Entis creati & creabilis, Mysterium in SS. Trinitate & Unitate, si essent tres numero Personæ, & Unum solùm Specie: vel ex eo tantummodò forent quid Vnum, quia necessariò ex suis Naturis inter se ad invicem immediatè adæquatè distinctis realiter, essent determinatæ ad idem velle, Sapere, & posse. Quod tamen est contra sensum SS. Patrum & Fidelium. Tum quia tali modo, sicut plures homines possunt dici, unus homo propter unitatem specificam; & iidem possunt dici plures, quia inter se differunt numero: ita etiam dici posset, plures esse Deos. Cùm tamen, ut benè notat S. Augustinus Lib: 2do contra Maximinum cap: 1. *Duos Deos esse colēdos, christianæ aures ferre non possunt.*

VIII.

CUM NEGARE EX AUGUSTINO NON POTUIT MAGISTER, SUBSTANTIAM DE SUBSTANTIA, SAPIENTIAM DE SAPIENTIA, GENERARI. NULLO MODO POTUIT NEGARE, ESSENTIAM DE ESSENTIA, & QUIDQUID DE DEO VERO, TAM SIMILE DICI POTEST. Thesis 18. &:19. ibidem.

MInimè negatur, S. Augustinum, imò & S. Athanasium Epistola ad Serapionem, S. Cyrillum Alexand: lib: 2. Thesau: cap: 1. & alios Patres (quorum textus videri possunt apud P. Ruiz de Montoia disp: 80 de Trinit: Sect: 1. & 2.) dixisse, Substantiam de Substantia, Sapientiam de Sapientia, Essentiam de Essentia generari: Essentiam generare & esse genitam. Sed respondetur. Patres, dum dicunt Essentiam gene

In quo sēsu aliqui Patres asserūt, Essentiam generare, esse genitā.

generantem, vel genitam, non loqui in sensu formali, & proprio: verùm in sensu identico, ut sensus sit: quòd Pater, qui per identitatem realem immediatam est Essentia divina, generet: item, quòd Filius, qui etiam per identitatem realem immediatam est Essentia, seu Substantia seu Natura divina, seu Deitas, sit genitus: non autem ut sensus sit, quòd Essentia, ratione sui, sit Principium formale & proximum generans; aut quòd ratione sui Essentia, sit terminus genitus. Taliter debere intelligi SS. Patres, sufficienter colligitur. Tum ex adductis supra definitionibus Rhemensis & Lateranensis Concilii, cui utrique haud dubiò interfuêre Patres, optimè versati in libris Sancti Augustini & aliorum SS. Patrum, quorum textus opponuntur vel opponi possunt in contra, & tamen Concilium definivit: Essentiam non esse generantem, neq; genitam. Tum quia multi alii SS. Patres asserunt: Essentiam esse ingenitam & innascibilem, quos adducit P. Ruiz loco citato, sect: 4. Tum quia aliàs, Essentia divina deberet distingui realiter immediatè à se ipsa, si generaret Essentiam: vel si generaret Personam, deberet realiter immediatè ab illa Persona distingui. Sicq; vel plures essent realiter Essentiæ, seu Deitates, vel aliqua Persona non esset realiter Deus. In Divinis enim illa distingvuntur realiter immediatè, inter quæ intercedit Oppositio producentis & producti: unde Magister, sapienter metuit, ne duæ uel tres Essentiæ dicerentur, si una de alia nasceretur.

Quo sensu explicata est illa Propositio. *Substantia de Substantia: Essentia de Essentia generatur.* eodem sensu explicanda erit & hæc. *Sapientia de Sapientia generatur.*

IX.

METUIT MAGISTTER, NE DUÆ VEL TRES ESSENTIÆ DICERENTUR, SI UNA DE ALIA NASCERETUR: AT SIMILITER ILLI METUENDUM FUIT, NE DUO VEL TRES DII FIERENT, SI UNVS DE ALIO GENERARETUR. Thesis 21 & 22. ibidē.

Non

NON erat similiter hoc metuendum Magistro. Nam DEUM de DEO generari, nihil aliud significat, quàm Filium ex Patre nasci, quorum una numero est Deitas: ideoq; non sequitur duos Deos fieri. Ad hujus ipsius meliorem intelligentiam.

Ex Doctrina Lõbardi non sequitur dari plures Deos.

Notandum universaliter est: apud Philosophos & Theologos certa esse duo Principia hæc. 1mò. Tunc Concreta, vel quasi Concreta multiplicantur, quando recta ipsorum multiplicantur, quidquid sit de obliquis. 2dò. Ut Terminus numeralis, significans multiplicitatem, quales sunt termini hi, Unum, duo, tria &c: cum veritate applicentur alicui termino concreto, necesse est in termino concreto multiplicari rectum, pro quo supponit terminus concretus, quidquid sit de obliquo. Ratio est. Quià ad veritatem Propositionis affirmativæ requiritur semper, ut idem concipiatur & significetur in recto ex parte subjecti, quod concipitur & significatur in recto ex parte prædicati, quidquid sit de obliquis importatis ex parte prædicati, & subjecti. Item ut terminus numeralis, significans multiplicitatem, verè applicetur alicui concreto, vel quasi concreto, necesse est, & sufficit, in termino concreto multiplicari rectum. Hinc unus est Christus; quia ly *Christus*, supponit hic in recto, pro Persona, quæ in Christo est una, licèt in ipso sint duæ Naturæ. Unus est Rex, licèt habeat plura Regna. Unus Sapiens, habēs plures scientias. è contra verò, si in tribus parietibus simul divinitùs poneretur una numero albedo replicata, tunc esset tria alba: Quia ly *Album* supponit hic in recto, pro subjecto v.g. pariete, qui supponitur esse triplex, licet obliqvum, scilicèt *Albedo* esset eadem. Cũ igitur hoc nomen, *Deus*, absolute prolatum, dicat in recto Essentiam, seu Naturam divinam, seu Deitatem, tanquam id, quod est in DEO virtualiter intrinsecè primum: in obliquo verò dicit Relationes, quare cum rectum significatum per nomen *Deus*, scilicet, Natura divina, non multiplicetur, multiplicatis Relationibus, ideo unus est Deus, licèt tres sint Personæ: quia hoc nomen *Persona Divina*, importat Relationẽ, ut distinctam realiter immediatè ab altera Relatione, tres autem sunt

tantùm in divinis ad intra Relationes distinctæ inter se realiter, nimirum Paternitas, Filiatio, & Spiratio Passiva, cùm inter has solùm detur Oppositio producentis & producti: spiratio enim Activa, quæ est Relatio quarta, identificatur immediatè realiter Paternitati & Filiationi.

Nota 2dò. Licèt ut dictum est, nomen *Deus*, si absolutè proferatur, importet in recto Deitatem, tamen si proferatur cum prædicato significante Processionem, vg. *Deus generat: Deus genitus:* Tunc in recto, significat Personam: Actiones enim & Passiones sunt suppositorum.

Nota benè. *Patrū dicta benignè interpretari convenit: secùs dicta hostium Ecclesiæ.*

Nota 3tiò. Dato interim à S Augustino vel aliquo alio ex antiquis SS. Patribus, aliquid minùs commodè & impropriè de Mysterio SS Trinitatis vel Incarnationis prolatum fuisse: tamen ut non malè monet ipsemet Lutherus In Disputatione, quòd in Christo duæ Naturæ sint. Exstat Tomo 1. Viteb: folio 415. *Hoc* (inquit) *in his rebus ineffabilibus præstandum est, ut Patrū dicta, sicuti opus est, cōmodè interpretemur. Sceleratum est, cùm noveris pium & sanum alicujus sensum: ex verbis incōmodè dictis, statuere errorem. Nulli enim fuerunt unquam Patres, aut Doctores, qui non impropriè sint locuti, si dicta eorum cavillari velis.* Hostium è contra Ecclesiæ, vel suspectorum in fide, amphibologicè & periculosè dicta, contra Auctores jubet idem Lutherus interpretari. In Epistola enim ad Amsdorfium scribit Tomo 2. Lat: Viteb: Anno 1546. à folio 528. de Erasmo sic. *Rectè faciunt omnes, qui suspecta & insidiosa verba Erasmi, contra ipsum interpretantur. Non est audienda ejus vociferatio, Calumnia, Calūnia, & quòd non cōmodè & candidè interpretemur ejus dicta: cur ipse fugit commodè dicta, & sectatur incommodè dicta? -Si ista loquentia regnet, possem ego omnia commodè interpretari, quæcunque unquam Hæretici dixerunt: deniq; quidquid ipse Diabolus fecit, dixit, aut dicere & facere possit in æternum.-Cùm dicit Erasmus; Petrus Christum appellat virum, Deum tacet. Damnandus est Arianæ sententiæ & hæreseos. - Pro libertate nostra dico, non esse ferendam Erasmi* (idē potiori jure dico, Lutheri, Calvini) *in suis amphibologiis tyrannidem; sed*

sim

simpliciter esse judicandum ex ore ipsius. Si loquitur arianicè, judicetur Arianus. Si loquitur gentiliter, judicetur gentilis.

X.

CONCEDIMUS, ESSENTIAM IN CREATURA NON DICI RELATIVE (UT AUGUSTINI VERBO UTAR) SED ABSOLUTE TANTUM, SED CUM SUBSTANTIAM, NATURAM & SIMILIA IN DIUINIS, APUD AUGUSTINUM & HILARIUM ACCIPI RELATIVE VIDERET MAGISTER, NON ERAT, CUR ESSENTIAM NEGARET RELATIVE DICI, & OB UNUM VOCABULUM, TANTAS TURBAS MOVERET.

Thesis 23. 24. & 25. ibidem.

SAnctus Augustinus & S. Hilarius, Substantiam, Naturam, & Sapientiam in Divinis accipiunt relativè, non in sensu formali & proprio, sed in sensu identico: ut constat ex dictis. Et aliàs eo ipso non esset Trinitas: quia Essentia, seu Natura divina, non esset tribus Personis communis: quod enim propriè relativum est, non identificatur immediatè realiter omnibus tribus Personis: hæ namq; nonnisi per relativa realiter à se mutuò immediatè distingvuntur. Unde non merè ob unum vocabulum, sed ob rem maximi momenti, quæ substat vocabulo, natæ sunt turbæ inter Abbatem, & Magistrum, per Concilii Lateranensis postea determinationem sedatæ. *In quo sensu, Patres, Naturam, sumunt relativè.*

XI.

CARDINALI CAMERACENSI DOCTISSIMO INTER SCHOLASTICOS, ISTA DETERMINATIO NON INIURIA VALDE DISPLICUIT. Thesis 26. ibidem.

PETRUS de Alliaco, Episcopus Cameracensis & Cardinalis, qui obiit Anno 1426. quòd displicentiam gravem habuerit in illa Concilii determinatione, veritati id an conforme sit, dubito, non *Incertum, an id displicuit Cameracensi.*

tam ex eo, quòd Lutherus non citaverit locum & verba Cameracensis, demonstrativa huius displicentiæ, nec Orthodoxi Scholastici Doctores, simile quid de Cameracensi asseruerint: quàm ex eo, quòd Luthero, solenne fuerit, innumera falsa pro indubitanter veris asserere: ut demonstraui in libro, cui titulus: Admiranda Lutheri, in Tractatu 2. Cap: 1. recensendo plurimas admirandas Lutheri fasitates. sed demus illam Concilii Lateranensis Oecumenici determinationem, Cameracensi, (judicio Lutheri) Viro inter Scholasticos doctissimo, graviter displicuisse: ast minimè displicuit verè sapientissimis Scholasticis Doctoribus, S. Thomæ, S. Bonaventuræ, subtili Scoto &c. imò totus Orbis Orthodoxus determinationem illam Concilii, ut omnimodè certò infallibilem, acceptat

XII.

OMNIA SVSPECTA SUNT, QUÆ ISTA ABOMINATIO, IN LOCO SANCTO STANS, DETERMINAVIT.

Thesis 20. ibidem ubi superiores.

Innocētius 3tius, eximius Pōtifex.

SIccinè abominatio fuit Innocentius 3tius? & Concilium Lateranense ab eo celebratum Anno 1215 Innocentius inquam, moribus & doctrinâ (ut Historici & libri ab eodem conscripti, testantur) insignis? Cujus vita adeo probata fuit, ut post ejus mortem, nihil earum rerum, quæ in vita egerit, laudaverit, approbaveritq; immutatum sit. Conciliumnè etiam illud Oecumenicū, fuit abominatio? in quo de negotiis Religionis, summâ Latinæ & Græcæ Ecclesiæ cōcordiâ tractatum est, cuiq; interfuêre Patriarcha Constantinopolitanus, & Hierosolymitanus, Archiepiscopiq tum Latini, tum Græci 70. Episcopi 412. Abbates & Priores supra 800: Græci item & Romani Imperatoris Legati: Regum verò Hierusalem, Galliæ, Hispaniæ, Angliæ, Cypri, Oratores. A Prædicto Concilio & Innocentio, inter alia sunt determinata hæc cap: 1. & 2do *Natura divina est omnino simplex. Tres*

Cōciliū Lateranense celebre.

Quid in illo determinatum.

Per-

Personæ sunt quid identicè unum in Natura, non autem unum collectivè ex tribus Naturis distinctis. Vna est fidelium universalis Ecclesia, extra quam, nullus omnino salvatur: In qua ipse Sacerdos & Sacrificium IESUS, cujus Corpus & Sanguis in Sacramento Altaris sub Speciebus panis & vini, veraciter continentur, transubstantiatis pane in Corpus, & vinô in Sanguinem, potestate divina: & hoc utiq; Sacramentum nemo conficere potest, nisi Sacerdos qui fuerit ritè ordinatus secundum claves, quas concessit ipse Apostolis & eorum successoribus, IESUS Christus. Sacramentum verò Baptismi, quod ad Invocationẽ Individuæ Trinitatis, videlicet Patris & Filii & Spiritus Sancti, cõsecratur in aqua, tam parvulis, quàm adultis, in forma Ecclesiæ à quocunq; ritè prolatum, proficit ad salutem. Determinatum item est ab eodem Concilio, Esse impiam Doctrinam Almarici. Hic docebat, Corpus Christi non aliter esse in pane Altaris, quàm in alio pane: item idem Almaricus negabat resurrectionem corporum: Paradisum similiter & infernum &c. Itanè hæc etiam omnia Luthero erunt suspecta?

XIII.

PERICULOSUM & CAVENDUM EST, INTER PERSONAS & ESSENTIAM DIVINAM, PUTARE, ESSE ALIQUAM DISTINCTIONEM: CUM SIT QUÆLIBET PERSONA IPSISSIMUS & TOTUS DEUS. FRUSTRANEA EST COGITATIO & NIHILI SCOTI, ET SIMILIUM, QUI FORMALEM, VEL ALIAM DISTINCTIONEM HIC FINXERUNT. NESCIUNT QUID LOQUANTUR & AFFIRMENT; DUM TALIBUS SAPIENTIÆ PHARMACIS, RATIONEM IUVARE VOLUNT.

Thesis 8. 9. & 10ma in Disputatione Theologica: DEUM simplicissimè esse Unum. Exstat Tomo 1mo Lat: Viteb: folio 412.

SUfficienter, *S.* Thomas & alii Theologi declarant, quamlibet Personam esse ipsissimum & totum Deum, licet admittatur aliqua di-

Distinctio aliqua admittẽda inter Eßẽtiam & Personas.

distinctio inter Personas & Essentiam, seu Naturam divinam. Imò ut concilietur veritas fidei de Mysterio Sanctissimæ Trinitatis cum veritate primorum principiorum, & Argumenta contra hoc Mysterium invalida esse ostendantur, non tantùm non periculosum est, & cavendum, sed admitti debet(uti defactò ab omnibus Theologis admittitur) dari aliquam distinctionem inter Personas et Essentiam, licet controvertatur, qualisnam detur inter illa distinctio. Sicut à Philosophis omnibus admittitur Continuum habere partes, licèt controversum sit, qualiter nam illæ partes inter se distinguantur.

Si Doctoris subtilis Scoti, & eius scholæ doctissimæ, Formalis distinctio(quæ, ut loquuntur ipsius Patroni, distinguit subtiliter Essentiã Divinam à Personalitatibus & Attributis, ac inter hæc ipsa, sine eorum aliqua realis Identitatis offensa, Mediatricem discretissimam agit) si inquam displicebat Luthero, poterat amplecti Distinctionem Rationis, vel Virtualem, à sapientissimis Thomisticæ Scholæ Doctoribus approbatas, vel aliquam aliam. Porrò Distinctionem aliquam inter Personas & Essentiam Divinam à Luthero admissam fuisse, & vi distinctionis illius, Lutherum salvasse ea, quæ salvari debent, minimè constat.

Cùm autem effutivit Lutherus: Theologos nescire, quid loquantur, vel affirment, dum talibus sapientiæ pharmacis(hoc est aliqua distinctione inter Essentiam & Personas) Rationem juvare volunt, talia effutiendo, minùs peritum se in Theologicis, imò rudem & nimis bardum fuisse, demonstrat.

ERUDITIONIS & MAIORIS DICTORUM INTELLIGENTIÆ CAUSA.

Errores varii hæreticorum de Mysterio SS. Trinitatis.

NOTA quòd Arius, Alexandriæ Civitatis Presbyter, circa Annum 312. docuerit: Naturam seu Essentiam Filii, esse distinctam realiter adæquatè à Patris Natura seu Essentia, eidemq; inæqualem. id ipsũ Macedonius Episcopus Constantinopolitanus circa Annum 359. asseruit de Spiritu Sancto. Sabellius verò circa Annum 260. affirmavit, Patrem & Filium & Spiritum Sanctum esse unam realiter indivisibilem

tri-

trinominem Personam, quæ in Veteri Testamento, veluti Pater Legē dedit: in Novo verò, quasi Filius, Factus est Homo: ad Apostolos autem die Pentecostes, ut Spiritus Sanctus, venit. Joachimus item Abbas circa Annum 1195. non aliam videtur Unitatem Divinæ Naturæ admisisse, nisi collectivam & similitudinariam, quali unitate, multi fideles, dicuntur Una Ecclesia, & multi homines Unus populus.

Contra hos omnes, Fides Sancta Catholica opponit Dogmata duo hæc. 1. Naturæ Divinæ in se omnino simplici singulari, indivisibili, identificantur tres Personæ, realiter inter se distinctæ, Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus. 2. De Natura Divina & Personalitatibus divinis, à Natura ipsa realiter immediatè indistinctis, verificantur Propositiones istæ. Natura seu Essentia Divina, est Una numero. Personalitas, seu Relatio ad intra, non est una numero: Essentia, est quid absolutum & phisicè commune tribus Personis, non item Personalitas. Pater generat, Filius generatur. Deitas verò nec generat, nec generatur. Spiratio Passiva procedit à Patre & Filio: Deitas non procedit &c. Primum Fidei Dogma, videtut repugnare illi, naturæ noto Principio, Quæ sunt eadem uni tertio, sunt eadem inter se. 2dum Dogma videtur repugnare alteri lumine Naturæ evidenti Principio huic. Impossibile est idem simul esse & non esse. Ad hæc secum invicem concilianda, atq; ad ostendendum tum Hæreticis, tum etiam Ethnicis Philosophis, Mysterium SS. Trinitatis negantibus, & oppugnantibus, idem Mysterium non repugnare lumini rationis, recurrunt Theologi Orthodoxi ad aliquam distinctionem Naturæ à Personalitatibus. Cæterùm hæc ipsa distinctio, qualis sit, inter se non conveniunt. Nam inprimis communiter Thomistæ doctissimi & è nostris, Vasquez, Granado, Vekenus, Haunoldus, & alii censent solam præcisè distinctionem rationis inter Naturam & Personalitates, sufficere ad salvanda prædicata, quæ juxta Fidem dicuntur de Natura & Personalitatibus. Scotistæ subtilissimi in hoc passu recurrunt ad suam Distinctionem formalem ex natura rei. Multi verò Thomistæ, & è Nostris,

Qualis Distinctio inter Naturā & Personas

va-

Valentia, Molina, Lugo uterq;, Arriaga & plurimi alii, inter quos, & P. Thomas Mlodzianowski (Theologus & Ecclesiastes absolutissimus) ad Distinctionem virtualem intrinsecam. P. Ignatius Zapolski [de scientiis altioribus præclarè meritus, & dein Apostolicis laboribus in Missione Persica immortuus] censuit dari ibi nemine cogitante aliquam distinctionem innominatam. Recentior ingeniosus Theologus docet salvari prædicata illa, per respectum identicum. P. Nicolaus Martinez in Romano Collegio docuit distinctionem realem immediatam Naturæ Divinæ à Personalititibus dari, mistam tamen identitati reali immediatæ ejusdem Naturæ cum Personalitatibus. Postremò sat multi Societatis Nostræ Theologi graves admittunt in Ordine ad salvāda contradictoria, quæ verificantur de Natura & Personalitatibns, distinctionem aliquam realem, quam diversimodè appellare solent. Meus olim in Theologia, nunquam satis laudatus Professor, P. Valentinus Queck (cuius non solùm Mentem in dissolvendis scientiarum nodis expeditam, verùm etiam svavitatem Regiminis, in plurium Collegiorum, Provinciæq; totius Polonæ Præside: altum Judicium in Assistente Germaniæ, & Polonia & Roma probavit) illam Distinctionē cum aliis etiam primæ Magnitudinis Theologis, Antonio Perez, Esparza, Joanne Morawski, appellat nomine Distinctionis realis in tertio, seu Mediatæ. Arubal & Amicus nominant Distinctionem Inadæquatam: Cardinalis Bellarminus, Distinctionem realem inadæquatam extensivè. Quidam cum Platelio, Connotationem Deo intrinsecam relationum seu Personalitatum realiter distinctarum. alii demū sub nomine Distinctionis Virtualis intrinsecæ, hanc ipsam Distinctionem intelligunt.

Mihi omnes & singulæ, superiùs nominatæ Distiuctiones, videntur probabiles: Probabiliorem tamen olim in Theologia asserui, & nunc assero Sententiam admittentium ibi distinctionem realem, quæ sat commodè Distinctio realis in tertio, vel Mediata, vel Inadæquata extensivè, vel etiam in certo aliquo sensu, Virtualis intrinseca, appella-

ri

ri potest: per illamq; sufficienter salvantur prædicata illa sibi opposita, quæ juxta fidei doctrinam, verificantur de Natura & Personalitatibus.

Probationes hujus Asserti omitto, cùm non sint huius loci: sed videri possunt apud citatos impressos Auctores, præsertim apud Patrem (Asceticis & Theologicis scriptis clarissimum) Joannem Morawski Disp: 2. q. 2. de Simplicitate DEI.

XIV.

Iste Syllogismus Expositorius. PATER IN DIVINIS GENERAT. PATER EST ESSENTIA DIVINA. ERGO ESSENTIA GENERAT. Est bonus: Et tamen præmissæ sunt veræ, Conclusio falsa. Et ita ex vero seqvitur falsum contra Philosophiam. Iste Syllogismus communis. OMNIS ESSENTIA DIVINA EST PATER. FILIUS EST ESSENTIA DIVINA. ERGO FILIUS EST PATER. Est bonus, sed præmissæ sunt veræ, & Conclusio falsa, & verum vero hìc prorsus non consonat.

Thesis 16. 17. 18. 19na. in Disputatione Theologica. An hæc Propositio sit vera, in Philosophia? VERBUM CARO FACTUM EST. Exstat Tomo I. Lat: Viteb: folio 413.

VTriq; Syllogismo prædicto, transita Maiore & Minore, negatur Consequentia: est enim uterq; vitiosus: nam peccat, & quidem ex duplici capite contra Leges Dialecticæ. Imò. Quia in utroq; variatur Appellatio, in illa enim Minore. *Pater est Essentia.* Est tantùm Appellatio materialis, non verò formalis, quatenus dicta Minor hoc solùm sensu est vera: quòd aliquid, quod per identitatem est Essentia, sit Pater: non autem in sensu hoc, quòd Essentia, quà Essentia, sit Pater: vel, quòd Pater quà Pater, sit Essentia, quà Essentia: in Consequenti autem, est Appellatio formalis: hoc enim verbum: *generat* vel *generans*, cadit supra Essentiam, quà talem, illudq; primi Syllogismi Consequens seu Conclusio facit sensum hunc: quòd *Essentia, quà Essentia generet*: juxta enim legem Dialecticæ, adjectiva nomina

Prædictos syllogismos esse vitiosos, ostenditur.

na, & verba, vim habent appellandi supra significatum formale. Idē proportionatè dicendum de secundo syllogismo, in quo similiter, nomen *Essentia* variat Appellationem. 2dò. Quia uterq; syllogismus procedit à termino non distributo ad distributum: ad syllogismi autem bonitatem, juxta Dialecticam, requiritur, ut medius terminus, in altera saltim Præmissarum, completè distribuatur: hoc est, accipiatur universè, seu pro omni re, pro qua accipi potest; quod in neutro syllogismo factum est. Non accipitur enim Essentia divina, pro omni illa re, quæ est Essentia divina: falsum enim est, quòd Omne id quod est Essentia divina, est Pater. vel. quòd Omnis Res, quæ est Essentia divina, est Pater. vel. Quòd Pater, est omne id, quod est Essentia Divina. Nam quælibet Persona divina est Essentia divina, non tamen quælibet Persona, est Pater. Erroneè item Terminus iste *Omnis* apponitur *Essentiæ Divinæ*, cùm hæc sit unicissima tantùm, sine ulla sui multiplicatione, identificata Tribus Personis distinctis inter se.

Ex dictis constat, vitiosos esse etiam syllogismos istos: *Omnis Pater, distingvitur realiter à Filio. Omnis Essentia Divina est Pater. Ergo omnis Essentia divina distinguitur à Filio.* Item. *Essentia Divina est communicabilis. Pater est Essentia Divina. Ergo Pater est communicabilis.* Et. *Deus ille unus, est tota Trinitas. Sed Pater est Deus ille unus. Ergo Pater est Tota Trinitas.* Item. *Deus ille unus, est Tota Trinitas. Sed Pater non est tota Trinitas. Ergo Pater non est Deus ille unus.* Huius enim Propositionis. *Deus ille unus, est tota Trinitas:* non est iste sensus. Omne, cui competit esse Deum illum Unum, est Tota Trinitas. Aliàs esset falsissima Maior; simileq; in prædictis syllogismis est vitium ac in hoc. Rex Poloniæ fuit Michàël. Sed Joannes III. non est Michàël, Ergo Joannes III. non fuit Rex Poloniæ. Hic syllogismus est vitiosus, Major enim non facit sensum hunc. Omne, cui competit fuisse Regem Poloniæ, est Michàël. Errat proinde Lutherus, ex prædictis syllogismis vitiosis, inferens contra receptissimam Dialecticorum Doctrinam. Ex Vero sequi falsum: & Verum Vero prorsus non consonare.

XV.

XV.

PRÆDICTI SYLLOGISMI NON SUNT QUIDEM MALI VITIO FORMÆ SYLLOGISTICÆ; SED VIRTUTE ET MAIESTATE MATERIÆ, QUÆ IN ANGUSTIAS RATIONIS SEU SYLLOGISMORUM, INCLUDI NON POTEST.

Thesis 20. ibidem ubi superior.

Itané nullus syllogismus formâ & materiâ rectus juxta regulas Dialecticæ, formari potest de re cœlesti & divinitus nobis revelata? nec unquam formatus est à SS. Patribus vel aliis Theologis gravissimis? Nonné recti sunt syllogismi illi, quos dedimus supra in Enervatione Thesis 1mæ? Prædictos autem syllogismos in Thesi 14. positos, minimè esse rectos, declaratum est suprà.

XVI.

SI FORMA SYLLOGISTICA TENET IN DIVINIS, ARTICULUS TRINITATIS, ERIT SCITUS, NON CREDITUS.

Thesis 49. in Disputatione Theologica, habita Viteb: 1517. Exstat Tomo 1. fol: 56.

ERRAS Luthere, Conclusiones enim propriè & strictè Theologicæ, deducuntur vel ex duabus præmissis de Fide, proinde obscuris: vel saltem ex una præmissa de Fide, & altera evidente, proinde Conclusio deducta ex talibus præmissis, utpote quò ad obscuritatem sequens debiliorem partem, erit obscura, non evidens: quare nec propriè & strictè scientia: hæc enim rigorosè actualiter sumpta: est Actus certus & evidens, deductus ex præmissis certis & evidentibus in se.

Quænam Conclusio strictè Theologica.

XVII.

OPTIMA SIGNA TRINITATIS DIVINÆ, NEGLEXERUNT

SCHOLASTICI (THEOLOGI) SOPHISTÆ, & INEPTA EXCOGITARUNT. In Colloq: Mens: cap: 4. de Trinitate.

Signa SS. Trinitatis, proponit Lutherus, futilia.

QUàm optima ſigna SS. Trinitatis, Lutherus excogitaverit, videamus. Tomo primo Colloq: Menſ: Titulo de Trinitate, ait. *Trinitatis agnitio vera, cœleſti revelatione per Verbum amplectitur, & illius veſtigia in Creaturis demonſtrantur. In fluminibus; ſubſtantia, fluxus, & potentia. In Aſtronomia; motus, lumen, & influentia. In Muſica tres notæ: re, mi, fa. In Geometria tres dimenſiones; linea, ſuperficies, & Corpus. In dictione apud Hebræos, tres literæ Subſtantiales. In Arithmetica tres numeri. In Grammatica, tres partes Orationis principales. In Dialectica, Definitio, Diviſio, Argumentatio. In Rhetorica, Diſpoſitio, Elocutio, Actio, ſeu geſtus. Nam inventio & memoria non ſunt artis ſed naturæ. Sic in Artibus, Pater eſt Grammatica, dans voces, eſtq; ipſa fons: Filius eſt Dialectica, dans diſpoſitionem rerum eſt Logos diſponens omnia; ſi requiritur Spiritus Sanctus, eſt Rhetorica & operatur vivificando.* Non tam futilibus ſignis deſumptis ex Muſica, Grammatica, & Rhetorica, ad Myſterium Auguſtiſſimum SS. Trinitatis declarandum, Scholaſtici Theologi utuntur, ſed aliis longè melioribus & ſolidis: innuo aliqua. S. Thomas, Theologorum Scholaſticorum Princeps, Opuſculo in Expoſitione Imæ Decretalis, ait;

Congrua, exhibent Theologi.

Derivatur à Trinitate Divina quædam Trinitas in anima noſtra, ſecundùm quam, ad Imaginem Dei ſumus: ſecundùm memoriam intelligentiam & voluntatem. Alii Theologi dicunt; quòd ſicut Anima, eſt trina, virtute ac potentiis: nam eſt vegetativa, & ſenſitiva, & rationalis: habetq; eſſe, vivere, intelligere: ita Deus, Trinus eſt in Perſonis: & ſicut eadem Eſſentia divina infinita, eſt per identitatem in Tribus Perſonis, realiter inter ſe diſtinctis: ita eadem anima rationalis, quæ eſt Eſſentia finita, & vita, eſt ſimul per unionem phyſicam, in pluribus membris Corporis, diſtinctis realiter inter ſe. Et ab Archetypo Trino in Perſonis, facta eſt trina fabrica, in pondere, numero & menſura

con-

consistens: Trinus rerum Ordo, Spiritualis, Corporalis, & mistus. Triplex bonorum supellex, naturæ, gratiæ & gloriæ. Item ad declarandum hoc Mysterium, ajunt, Vestigium eius relucere in gemma, cui nomen est Triophtalmos; sic dicta, quòd simul exprimat tres oculos hominis, una luce coruscantes: meminit huius gemmæ Plinius: & à S. Nazianzeno vocatur *Lux una, triplici face collucens*: ita SS. Trinitas, una Naturæ Divinæ luce, in tribus Personis emicat: Item sicut palmæ fructus sunt Dactyli, è quibus, si unum terræ commiseris, ex uno nascuntur tres palmæ; quòd si tres dactylos eidem terræ injeceris, è tribus assurgit una palma: sic in Uno, Tribusq; Unius Dei Una Essentia, ac Personarum Trinitas, exprimitur.

XVIII.

ANGELI, TAM BONI, QUAM MALI, HABENT POTESTATEM, VALIDE BAPTIZANDI, ABSOLVENDI A PECCATIS, & MISSAM CELEBRANDI. Tomo 7timo de Missa privata.

Angelis non est collata potestas, administrandi Sacramenta.

A Quonam, & quando, data est illis hæc potestas? & cùm nihil juxta Lutherum, debeat in materia Fidei asseri, nisi, quod clarè habeatur in Scriptura Sacra: ostendat clarum textum Scripturæ, docentis illam Thesim? utiq; etiam juxta Lutherum, ad valorem Sacramenti, requiritur non solùm Verbum & Elementum, sed etiam Mandatum Dei. Requiritur item iuxta eundem, ad valorem absolutionis Sacramentalis & consecrationis, ut absolvens & consecrans, sit Baptizatus: ubi autem Mandatum Angelis à DEO, ut conferant Sacramenta? Suntnè etiam Angeli baptizati? utiq; Christus Dominus solis hominibus dixit? *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in Nomine Patris &c: Quorum remiseritis peccata, remittentur eis &c: Hoc facite in meam commemorationem.* Et S. Chrysostomus lib: 3tio de Sacerdot: clarè dicit, Angelis non esse concessum, ut Sacramenta administrent: idem docent alii Patres cum Theologis. Accedit. Quia Angeli

geli, non possunt propriè & vitaliter proferre formas Sacramentales. *Angeli*(ut dicit S. Thomas 1. p. q. 51. art: 3. ad 4) *propriè non loqvuntur per Corpora aßumpta, sed est aliquid simile locutioni, in quantum formant sonos in àëre similes vocibus humanis.* Nam loqui propriè, est actio corporis viventis per instrumentum linguæ & palati. Sacramentorum efficacia licèt non pendeat à qualitate accidentali, ut est bonitas subjecti, pendet tamen à qualitate essentiali, sine qua non esset verus Minister: talis autem est, ut sit homo, propter rationes superiùs datas. Judas etiamsi fuit membrum Diaboli, tamen verum Sacramentum administravit, non ut membrum diaboli, sed ut minister Christi: fuit autem Judas, Christi Minister, qvia & verus homo erat, & à Christo collata ipsi erat potestas baptizandi. Conceditur tamen, quòd per extraordinariam divinam dispensationem, Angelus bonus possit aliqvod Sacramentum administrare.

XIX.

SUMMI & PRINCIPALES DIABOLI, SUNT DOCTORES THEOLOGIÆ, MEDIOCRES VERO DIABOLI, SUNT JURISTÆ.

Cōmentum Lutheri.

ITA enim habetur in Colloquiis Mensalibus, seu sympofiacis, seu Potatoriis. Titulo de Tentationibus. *Summi & principales Diaboli nobis adversantur, quia sunt Doctores* Theologiæ. *Turcæ & Papistæ, mediocres habent diabolos, non Theologos sed Juristas.*

Si ita est. Ergo cùm (ut supra vidimus in Tractatu 1. Thesi 10.) Doctoratus Theologiæ (juxta Lutherum) sit certum divinæ vocationis legitimæ testimonium, în ordine ad docendum & ad ministerium; Seqvitur, quòd Diaboli illi, qui sunt Doctores Theologiæ, fungi possint Ministerio Lutherano, eosq; esse audiendos. Item. Unde novit Lutherus, mediocres Diabolos esse Juristas? Cur non potiùs Philosophos, aut Rhetores, vel veriùs Ministros Prædicantes? Idem Lutherus in libro de Reformatione Reip: Christianæ ad Nobilitatem Germanicam scribit

bit ſic: *Doctores Artium, Medicinæ, Iuris, Sententiarum*, creari poſſunt à Papa, Imperatore, Academiis: Doctorem verò Sacræ Scripturæ nemo facit, niſi Spiritus Sanctus. Hoc poſito: quæro cum P. Gretſero & aliis ex Luthero. Diaboli illi, qui ſunt Theologiæ Doctores, an ſint Theologiæ Doctores Scripturarii, ſeu Scripturæ Sacræ, an Sententiarum ſeu Scholaſtici? Nequit dici ſecundum. Non poteſt enim verè oſtendi, à qua Academia, à quo Imperatore, à quo Papa, quomodo, quando, quibus præſentibus teſtibus fide dignis, Diaboli illi creati ſint Doctores ejuſmodi ſententiarii ſeu Scholaſtici? Reſtat ergo non niſi blaſphemè dicendum, ſcilicet à Spiritu Sancto creatos eſſe illos Doctores Scripturæ Sacræ. Sed quo loco, & quo tempore id factum? & quomodo? quibus teſtibus? ad iſta quæſita nunquam reſponderi ſufficienter poteſt.

XX

HOMINES AD PECCATA CONTRA PRIMÆ TABULÆ PRÆCEPTA EXCITANTUR A MAGNIS DIABOLIS: AD PECCATA VERO CONTRA PRÆCEPTA SECUNDÆ TABULÆ, INSTIGANTUR A IUNIORIBUS DIABOLIS.

ITa enim habetur in Colloquiis Menſalibus, Titulo de Catechiſmo. *Non deſiſtit* (inquit Lutherus) *Diabolus etiam à nobis quotidie tentandis & inſtigandis, ut peccetur contra Decalogum, præſertim contra præcepta primæ tabulæ. In hoc conflictu, majores Diaboli, ut anteſignani, contra nos dimicant. In Præceptis ſecundæ Tabulæ, quibus prohibetur ira, homicidium, fornicatio, adulterium, rapinæ, furtum, detractio, occupantur adverſus nos, juniores & diabolares ſeu patellarii Diaboli.*

Verùm hanc Diabolorum diviſionem & præcipuè officiorum diſtributionem, undenam didicit Lutherus, cùm nihil hac de re Scriptura innuat, nec Patres? niſi fortè dicatur didiciſſe ab ipſo dæmone, cum quo, ſe non unum modium ſalis abſumpſiſſe iactabat, quiq; illi perſvaſit

A qualibus dæmonibus Lutherus, tentatus.

ſit Miſſam eſſe Idololatriam: de quo infrà. ſed Patri Mendacii haud facilè credere debuit Lutherus. Quod ſi quis ſcire velit, an, & à qualibus nam Diabolis, Lutherus inſtigatus ſit ad peccata? Reſpondetur, ſtante illius diviſione, inſtigatus fuit & à Majoribus, & à junioribus Diabolis ad peccata patranda gravia, eaq; patrâſſe. Ipſemet enim de ſe in Cap: 1mum Epiſt: ad Galat. ſcribit hæc. *Alebam perpetuam diffidentiam, odium & blaſphemiam Dei.* Et in ſympoſiacis Colloquiis cap: de Orat: Et contra Hypocritam Dreſdenſem, dicit: *Se orare non poſſe, niſi ſimul aut juret, aut execretur.*

Item Tomo 1. Lat: Epiſt: Epiſt: 234. ad Melanth: *Carnis meæ indomitæ uror magnis ignibus, ferveo carne, libidine, pigritiâ, otiô, ſomnolentiâ.* Item Epiſt: 229. ad Spalatinum. *Ego otioſus hìc & crapuloſus ſedeo tota die.* Quidni crapuloſus? qui conſveverat multoties immane poculum, in quo totus Catechiſmus depictus erat, uno hauſtu ad fundum exhaurire? cui, cum pari hauſtu, vel ſemel Joannes Islebius Agricola, reſpondere vellet, vix tertiam partem Catechiſmi, ebibere potuit: ut refertur in Colloq: Men: Tit: de Miſcellaneis. ſed potiſſimùm ab illis Diabolis (ſi qui tales ſunt) excitatus fuit Lutherus ad novam Doctrinam, & hæreſim excitandam, ex qua innumera & horrenda profluxerunt mala: ut conſtat ſuprà ex Trac: 1. ſub Theſi 2da.

Objiciet quis. Utiq; Lutherus in Commentario ſuo, in cap: 25. Genes: videtur ſenſiſſe, dæmones, ad diem uſq; Judicii extremi, dormire; quòd ſi autem ſemper dormiunt, quomodo incitant homines ad peccata? Reſpondetur, ſenſiſſe quidem id Lutherum de Dæmonibus, ut brevi infra in Tractatu 3tio ſub Theſi prima oſtendetur. Aſt Luthero ſolenne fuit, in rebus Fidei dogmata cõcernentibus, contraria ſibi aſſerere; ut demonſtravi in Admirandis Lutheri. in Tractatu 3. Capite 1mo.

§§*

TRA-

TRACTATVS TERTIUS

EXPVGNANTVR LVTHERI THESES, ADVERSÆ IIS, QVÆ, BEATITVDINEM, LIBERTATEM ACTVVM HVMANORVM, PECCATA, LEGES, IVSTIFICATIONEM, ET MERITVM, CONCERNVNT.

I.

BEATITVDINE CÆLESTI NON FRUUNTUR ANIMÆ JUSTORUM: SED OMNES ANIMÆ SEPARATÆ A CORPORE, DORMIUNT INSENSIBILES; ET DORMIENT SIC USQUE AD EXTREMUM JUDICII DIEM.

ITa enim Lutherus Anno 1522. in 8va Epiphaniæ ad suum Ambsdorfium scripsit. *Proclivè mihi est, concedere tecum in eam sententiam: Justorum animas dormire, ac usq; ad Judicii diem nescire, ubi sint.* Et in Commentario super caput 25. Genesis, ait: *Dormiunt Sancti molliter & tranquillè: & cùm egrediemur ex hac misera vita, suaviter agonizabimus, & congregabimur ad populum nostrum, ubi somnus placidus in Domino est.- Consolatio nostra est, quòd Conjunx, filius, Parentes, dormiunt in pace, suaviter acquiescunt.* Item supra Caput 2. Genesis. *Defunctæ animæ in Fide, habent pacem, & quiescunt & exspectant in illa quiete futuram vitam & gloriam.*

Sed contra est. Nunquid S Paulus scribens ad Philip: 1mo, Coárctor

Animæ justorum non dormiunt insensibiles.

ctor, desiderium habens dissolvi, & esse cum Christo. Cupiebatné dissolvi & dormire? nonné desiderabat esse cum Christo? qui utiq; est in cœlo? Et 2. ad Corinth: 5. idem Apostolus scribit. *Dum sumus in corpore, peregrinamur à Domino. Audemus autem, & bonam voluntatem habemus; magìs peregrinari à corpore, & præsentes esse ad Dominum.* Subsumo. Sed Sancti, qui in Novo Testamento moriuntur, peregrinãtur à corpore. Ergo præsentes sunt ad Dominum, seu sunt cum Deo in cælis. Neq; Christus Dominus Latroni bono promisit somnum, sed consortium statim secum in Paradiso, seu in summa æternaq; felicitate, cujus felicitatis, Paradisus terrestris, figura fuit: & de hoc loquitur S. Paulus 2. Corinth: 12. dicens: Se raptum in Paradisum. Scilicet ut ipsemet explicat: Raptum ad tertium cælum. Et Salvator ad hoc cælum adduxit ex limbo multitudinem Sanctarum Animarum, juxta illud ad Ephes: 4. *Christus ascendens in altum, captivam duxit captivitatem.* Oppositum etiam, Lutheri somniantis somno erroneo, sentiunt, præter Scripturam, non solùm SS. Patres & Concilia (quæ omnia vide fusè cum solutione Objectionum apud Bellarminum lib. 1. de Sanctis cap: 2do & sequentibus) verùm etiam ipsemet Zuinglius, qui in Explicat. Articuli 57mi ita scribit. *Audio quosdam esse, qui nos à morte, animâ & corpore ad extremum usq; diem dormituros affirment; tunc resuscitandos & ingressuros esse in gaudium & Gloriam Dei, aut in æternam miseriam: cum quibus ego nequaquam sentio. Nam quòd Scriptura de dormitione memorat, ut* 1. *Thessal:* 4. *aliisq; in locis, non ad animam, sed ad corpus referri debet, ut ex posterioribus liquebit. Porrò, quæ de præmiis, aut pœnis, extremi illius diei, dicuntur, debent intelligi, quòd tunc toti homini contingant: nam tunc tandem uniuscujusq; hominis judicium, manifestum fiet: quin omnium hominum, qui ab initio mundi usq; sunt. Christus, Primitiæ est dormientium, & nostræ resurrectionis.* 1ma *Corinth* 15. *quòd si nos sumus resurrecturi, quemadmodum Christus resurrexit, non dormiet anima nostra à morte: nam nec Christi Anima dormivit. Audis Petrum in ea esse sententia, Christum*

stum à morte sua captivis, gaudium redemptionis annuntiaße. (dicitur enim 1. Petri tertio, de Christo: his qui in carcere erant Spiritibus veniens prædicavit) *quòd si illi tunc fuerunt vivi, quantò magis fidelium animæ, à morte vivunt: & statim post mortem aut gaudium adest aut pœna.* Hucusq; Zvinglius non malè contra Lutherum somniatorem.

Quòd si quæras ex Luthero. 1mò. Quomodonam locus ille vocatur, in quo dormiunt animæ, & in quanam est Regione? 2dò. An omninò omnes animæ Justorum defunctorum, nullis exceptis, dormiant hucusq;? 3tiò. An etiam animæ damnatorum dormiant ad diem usq; judicii extremi? 4tò. Quidnam hoc in passu etiam sentiendum de Dæmonibus? Respondet Lutherus ad 1mum. Locum illum vocari Scheolah. In Commentario enim super cap: 42. Genesis ait. *Ex Scriptura Sancta liquet, quòd Sancti secundùm corpora vadunt in Kefer, sicut Abraham in agro Ephron, è regione Mambre sepelitur: secundùm animam verò ingrediuntur in cubicula sua, in scheolah, ubi congregantur cum Patribus suis.* Locumq; illum scheolah, dicit esse locum aliquem ignotum, extra cœlum. Ad 2dum, supra Caput 49. Genesis, Respondet. Omnium absolutè Justorum Animas dormire, *Exceptis illis, qui cum Christo resurrexerunt, ut Adam, Eva, Noah, Abraham.* Quòd si quæratur ex Luthero, Undenam illi constat ex Scriptura, hos quatuor nominatos, resurrexisse cum Christo, cùm eoq; Cœlum conscendisse unà cum corporibus? Itemq; locum illum, animarum receptaculum, vocari scheolah? Ad hoc silet Lutherus. Ad 3tium quæsitum, In Epistola ad Ambsdorfium respondet: Se de damnatis animabus, idem sentire, quod & de Animabus Justorum. Et super Caput 25 Genesis dicit, *An animæ impiorum statim torqueantur post obitum, non possum affirmare* & adductis aliquibus Scripturæ locis, addit: *Apparet eas etiam dormire.* Ad 4tū videtur locô citatô magis propendere Lutherus in hanc sententiam, quòd etiam Dæmones dormiant. Ex Textu enim S. Petri 2. Petri 2. dicentis: Malos Angelos ad Judicium reservari: infert Lutherus animas

Animæ damnatorum, Iuxta Lutherū, dormiunt.

mas dormire: quidni ergo rectè inferatur, sensisse Lutherum, quòd etiam Dæmones dormiant: siquidem ille textus S. Petri, non est de animabus hominum, sed de Dæmonibus; & juxta Lutheri interpretationem, ad Judicium reservari, est idem, quòd dormire ad extremum diem Judicii Universalis.

Refellitur error Lutheri, suprà dictus.

Sed si Dæmones semper dormiunt, quomodo instigant & excitant ad peccata? ut ipse testatur Lutherus. Quomodo S. Petrus scribere potuit 1. Petri c. 5. *Fratres, sobrii estote, & vigilate, quia adversarius vester diabolus, tanquam Leo rugiens circuit, quærens quem devoret, cui resistite fortes in Fide.* Et, si *Angeli in cœlis semper vident Faciem Patris qui in cœlis est:* ut dicit Christus Dominus Math: 18. Cur Angeli mali, supplicium non sustineant & sentiant? Item. Si animæ impiorum dormiunt. Cur Lucæ 19. Idem Christus Dominus testatur? Epulonem (fuit is Judæus, vixit tempore Christi, nomen illi Nineusis, vel ut alii volunt: Nynensis; teste Euthymio, ex Traditione Hebræorum. Ejus domum adhuc videri Hierosolymis, scripsit Franciscus Quaresmius, Ordinis Minorum Theologus & olim Terræ Sanctæ Commissarius, in libro 4to Elucidationis Terræ Sanctæ cap: 13.) in tormentis esse & clamâsse: *Crucior in hac flamma.* Constatq; ex Historiis fide dignissimis, quas refert S. Gregorius Magnus lib: 4. Dialog: cap: 37. Beda lib: 5. Histor cap: 13. & alii, animas impiorum in tormentis esse: Justorum autem in cœlesti gloria. Vide plura in libro meo, cui Titulus: Admiranda Lutheri, in Tractatu 3tio.

Si quis objiciat: Ioannem XXII. Papam, idem semper sensisse, quòd hic Thesi 1ma Lutherus. Respondeo, id omninò falsum esse: retractavit enim hanc suam opinionem, ad quam antea propendebat: ut demonstravi in Admirandis Calvini, in Tractatu 2. cap: 1mo. Ast, dato non concesso, idem semper sensisse: nihil tamen tunc per hoc, formaliter sensit contrarium Fidei: modo primùm enim, Joannis XXII in Cathedra Petri Successor, Benedictus XII., post longas Disputationes definivit: Animas Sanctorum frui Visione beatifica: quod

ipsum

ipsum etiam postea definivit Concilium Florentinum, Sessione ultima; & Tridentinum Sess: 25.

II.

BEATI OMNES IN CÆLO, PARES OMNINO IN BEATITUDINE, FUTURI SUNT.

AUsus enim est scribere Lutherus in Sermone de Nativitate B: Virginis: *Omnes sunt B. Virgini, in Sanctitate & meritis, corā Deo pares*, Unde sequitur etiam omnes Beatos, futuros esse pares in præmio, nempe in Beatitudine. Thesim 2. hanc sat clarè inculcat Lutherus Tomo 5. Jenensi, supra caput 27 Genesis. Idem olim etiam Jovinianus Hæresiarcha docuit: sed doctrina illa, statim damnata fuit Romæ, ut testatur S. Hieronymus in Apologia ad Pamach: pro libris suis contra Jovinianum: damnata item in Concilio Telensi sub Siricio Papa: & in Concilio Florentino in Literis Unionis. Insuper Thesim & doctrinam illam esse erroneam,

Probatur 1mò Ex Scriptura. Joan. 14. *In Domo Patris mei mansiones multæ sunt.* Has mansiones, Patres (ut Augustinus lib: de Virginitate cap: 26. & Tractatu 67. in Joannem. Chrysostomus, Hieronymus, Theodoretus, Beda, & alii) interpretantur, esse diversos gradus Beatitudinis. 1. ad Corinth: 15. *Stella differt à stella in claritate, sic & resurrectio mortuorum.* Consonāt Patres, id etiam ex Scriptura asserentes: & præcipuè ex illo loco Joan: 14. ut præter supra citatos, Cyprianus lib: de habitu Virg: Nazianzenus Oratione 1. de Theologia. Cyrillus Alexandr: in cap. 56. Isaiæ. Gregorius Magnus lib 4. Moral: cap: 42. Bernardus Epist: ad Gvilhelmum Abbatem.

Non omnes Beati, sunt æquales in Gloria.

Probatur 2dò Ratione. Tum quia merita sunt inæqualia. Ergo & præmia debent esse inæqualia. Nam Unusquisq; propriam mercedem accipiet, secundùm suum laborem: ut dicit Apostolus 1. ad Corinth: 3.

Et

Et qui parcè seminat, parcè & metet, 2. Corinth: 9. Tum quia impii, juxta imparitatem demeritorum, imparia habent supplicia: secundùm illud Apocal: 18. *Quantùm glorificavit se, & in deliciis fuit, tantum date illi tormentum & luctum.* Et Sapientiæ 6to: *Potentes, potenter tormenta patientur.* Ergo etiam Beati, juxta inæqualitatem meritorum, habent inæqualia præmia: proinde erit & inæqualitas Beatitudinis, quæ consistit in visione Dei. Et sic, Beatus qui habebit majora merita, clariùs videbit Deum, quàm alius, qui minora. Tum quia, ut probat S. Thomas: 1. p. q. 12. artic: 6. & 1. 2. q. 5. artic: 2. Qui magis Deum dilexerit, magis erit dispositus ad recipiendum Deum dilectum per participationem luminis gloriæ.

Objectiones in cõtra, Ioviniani, & Lutheri, solvuntur.

Neque dicas cum Joviniano. Utiq; habetur Matthæi 20. quòd Operarii, licet inæqualiter laboraverint, acceperint tamen omnes denarium unum. Respondet enim S. Augustinus super illud Ioan 14. In Domo Patris mei &c: Et lib de Virginit: cap: 26. per denarium illum, ibi, significari beatitudinem, secundùm communem ejus rationem, quæ in omnibus Beatis invenitur: ut est scilicet, fruitio unius & ejusdem summi Boni, quod est DEUS; omnes enim Beati fruentur eodem hoc summô Bonô, seu ut loquitur S. Thomas 1. 2. q. 5. art: 2. ad 1. *Unitas denarii, significat unitatem Beatitudinis ex parte objecti:* nihilominus tamen, unus aliô perfectiùs pro ratione meritorum, fruetur illô Bonô, seu Beatitudine objectiva, Alias explicationes, illius parabolæ de Operariis Matth: 20. vide apud nostrum Cornel: à Lapide.

Neq; dicas 2dò, cum Luthero; Homines sunt justi, non per propriam, sed per Christi justitiam, quæ omnibus qui fidem habent, æqualiter imputatur: Omnes item accipiunt præmium, non per propria, sed per Christi merita: quæ similiter omnibus, qui fidem habent, æqualiter imputantur: Respondetur enim, hoc esse omninò falsum. Quia sicut, licet *Christus factus est nobis Sapientia* teste S. Paulo 1. Corinth: 1. v: 30. tamen hoc non obstante, alia quadam sapientia, & fide nostra, quæ infundatur Sapientiæ Christi, & non eâdem ipsâ Sapientiâ Christi, Sapimus

mus: ita etiam non obstante, quòd *Christus factus est nobis Iustitia & Sanctificatio* 1. Corinth: 1. v: 30. Necesse est, ut alia quadam justitiâ & sanctificatione nostra, quæ justitiæ & Sanctificationi Christi infundetur, justi simus. Et sicut Deus est Fortitudo nostra, Illuminatio & salus nostra: Psal: 17. & 26. non imputativè, sed effectivè; ita etiam Christus, est Iustitia nostra. Nec, si propter nostra etiam merita, beatitudinem accipiemus, idcirco non illam accipiemus propter merita Christi: imò maximè hoc ipso propter merita Christi accipiemus, quia accipiemus illam propter merita nostra, nonnisi ut infundantur meritis Christi, ut sapiēter notat Valentia cum aliis.

III.

HOMO NULLUM ACTUM, SIVE BONUM, SIVE MALUM ELICIT, QUI PROCEDAT AB IPSIUS LIBERO ARBITRIO: LIBERUM ENIM ARBITRIUM EST FIGMENTUM IN REBUS.

Lutherus enim expressè in Assert: Articuli 36. dicit. *Liberum arbitrium, est figmentum in rebus, seu titulus sine re: quia nulli est in manu sua quidquam cogitare mali aut boni: sed omnia, ut Vicleffi Articulus Constantiæ damnatus, rectè docet; de necessitate absoluta eveniunt: quod & Pòëta voluit, quando dixit. Certa stant omnia lege.* Et in Disputatione Theologica, Heidelbergæ habita Anno 1518. Thesis, numero 14to posita, est hæc. *Liberum arbitrium, post peccatum, res est de solo titulo.* Carolus 5tus in Edicto etiam suo (quod exstat Lutheri Tomo 2do Viteb:) contra Lutherum dicit: *Confirmat etiā Lutherus ex Ethnicorum Pòëtarum fabulis, nullam eße libertatem naturæ hominis.* In glossis marginalibus ad Edictum hoc Imperatoris, apposuit Lutherus verba ista. *Pòëtæ hic intelliguntur, Joannes, Paulus, Petrus.* Ast ubi Apostoli, tam impium dogma tradiderunt? Idem Dogma erroneum antea docuit Manichæus, ut testatur S. Augustinus

libro

libro 4to ad Bonifacium cap: 4to. Et S. Hieronymus Tomo 2do in Procemio in Dialogos adversus Pelagianos, ait: *Manichæorum est, damnare hominum naturam, & liberum auferre arbitrium.*

Datur in homine libertas indifferẽtiæ.

Contra hanc Thesim tam graviter erroneam, Orthodoxi cuncti asserunt, dari in hominibus(etiam in statu naturæ lapsæ) libertatẽ, quæ, non solùm excludat violentiam & còactionem, verùm etiam excludat necessitatem: seu quod idem est: Dari libertatem indifferentiæ. quod ipsum.

Probatur Imò Auctoritate Scripturæ. Eccles: 31. *Beatus dives, qui potuit transgredi, & non est transgressus, facere mala & non fecit.* Hìc clarè asseritur potentia faciendi mala, qui enim actu non fecit mala, utiq; potuit non facere illa? Potentia autem faciendi mala, & non faciendi, est ipsa libertas indifferentiæ. Item dicitur Deuter: 30. *Testes hodie invoco cœlum & terram, quòd proposuerim vobis, vitam & mortem, benedictionem & maledictionem. Elige ergo Vitam, ut viuas, & diligas Dominum Deum tuum.* Et Josue 24. *Sin autem malum vobis videtur, ut Domino serviatis, optio vobis datur, eligite hodie, quod placet.* Similia habentur 2do Regum cap: 24. v: 12. Genes: 4. v. 7. & alibi; Et Matth: 19. *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata.* Idem docent omnes SS. Patres. Audiantur ex plurimis saltem duo. S. Hieronymus lib: 2. in Jovinianum *Liberi arbitrii, nos condidit Deus, nec ad virtutes, nec ad vitia, necessitate trahimur, alioqui ubi necessitas, neq; corona, neq; damnatio est.* Et in Dialogo 3tio contra Pelagianos. *Hoc est, quod tibi in principio dixeram: in nostra esse potestate, peccare, vel non peccare, ut liberum servetur arbitrium.* S. Augustinus lib: 1. ad Bonifacium cap: 2. *Quis nostrûm dicit, quòd primi hominis peccatô periérit liberum arbitrium de humano genere?* Et Epist: 46. *Credite divinis eloquiis: quia liberum est hominis arbitrium.* Et in Epist: 86. q. 2. *Neque voluntatis arbitrium ideo tollitur, quia juvatur: sed ideo juvatur, quia non tollitur.* Lib de spiritu & litera cap: 34. *Consentire vocationi Dei, vel ab ea dissentire, propriæ voluntatis est.*

Pro-

Probatur 2dò. Ratione. Datur in hominibus consultatio, seu deliberatio de eligendo alterutro ex duobus secum incompossibilibus: ut experientia quotidiana constat. Hæc autem consultatio, necessariò supponit in hominibus libertatem indifferentiæ, seu potentiam faciendi, vel non faciendi, vel oppositum faciendi, positis omnibus ex parte Actûs primi requisitis ad agendum. Frustra enim & imprudenter deliberat vg. Petrus, sit ne res facienda vel non, item tali vel tali modô, si inevitabiliter necessariò facere illam debet: vel nonnisi tali modô. Aliàs, quis prudenter deliberare posset, an liber sit legendus oculis apertis, vel clausis? an ambulandum pedibus, an capite? an vox audienda auribus, an manibus exporrectis?.

Confirmatur. Quia non admissa libertate indifferentiæ in hominibus, deberent tolli præmia, supplicia, præcepta, & prohibitiones. Nam (ut dicit S. Augustinus lib: de fide contra Manichæos cap: 10.) *Quis non clamat, stultum esse dare præcepta ei, cui liberum non est, quod præcipitur, facere: & iniqvum esse, eum damnare, cui non fuit potestas, jussa complere*? Et S. Justinus Martyr, in Apologia 2da pro Christianis ad Antoninum Pium Imper: *Si in fatis est hunc esse bonum, malumq; illum; neq; ille probandus esset, neq; hic reprehendēdus: ac, nisi liberô arbitriô, atq; iudiciô, genus humanum, & res turpes fugere potest, & pulchras ac bonas sequi, extra causam culpamq; est eorum, quæ quoquo modo aguntur.* Hinc meritò ab Innocentio X. damnata est Jansenii propositio hæc: *Ad merendum & demerendum in statu naturæ lapsæ, non requiritur in homine libertas à necessitate: sed sufficit libertas à coàctione.* Item à Gregorio XIII. damnata propositio Baji hæc: *Id quod voluntariè fit, etiamsi fiat necessariò, fit tamen liberè.* Sed quid Argumentis multis opus: mihi videtur efficacissimum esse argumentum (verè ad hominem) quô etiam est usus Scotus in 1. Distinc: 39. q. unica, litera C. & alii, ut Gabriel ibidem Distinct: 38. Major in 2. Distinct: 25. scilicet, ut inficiator libertatis, potenter verberetur, & crucietur, donec fateatur, eum, à quo vim patitur, posse desistere: si e-

(H) enim

nim non est illi liberum desistere à verberando, & cruciando: cur conqueritur? & si necessarium ei fuit, sic agere, agnoscat necessarium etiam fuisse, sic verberari & cruciari.

Libertatem hanc indifferentiæ agnoverunt etiam ipsi Gentiles Philosophi nobiliores: ex quibus Aristoteles 1. Majorum Moralium cap: 10. *Manifestum* [inquit] *in nostro arbitrio esse, bona, malaq; facere.* Et 3. Ethic: cap: 5to. *In nostra potestate erit, ut & frugi simus, & nequam.* Multisq; idipsum, in locis citatis probat.

Neque dicas 1mò. Improbos puniri non ex eo, quòd habeāt libertatem abstinendi à flagitiis, sed quòd cùm sint naturâ suâ mali, bono Communitatis totius interest, ut puniantur, imò & interficiantur: sicut scorpiones, viperæ, & alia animalia venenata interficiuntur; nec excusantur à morte, licèt non ex libera electione, sed ex natura sua, sint nociva & mortifera hominibus. Contra enim est. Tum quia aliàs etiam scelestissimi quiq;, non deberent exquisitissimis tormentis cruciari, & horrendis mortis suppliciis interimi, verùm nonnisi simpliciter interfici: sicut fit cum scorpionibus, & viperis. Quis enim ex prudentioribus mandat, viperas cruciatibus variis subjici, & dirissimo genere mortis occidi? Tum quia aliàs non sufficeret, ut lue infecti pestifera, arceantur à societate benè valentium, sed necessariò interficiendi essent: sicut interficiuntur graviter flagitiosi. Accedit. Quia prudentes omnes Legislatores, eos, qui per vim, vel ignorantiam invincibilem aberrant à recto, non puniunt, sed eos solùm qui scienter & liberè aberrant. Ergo evidens est, quòd non in pravitatem naturalem, sed in liberè suscepta, animadvertatur.

Neq; dicas 2dò. Ad Romanos 7. dicit S. Paulus. *Non quod volo bonum, hoc ago: sed quod odi malum, illud facio.* Et ad Philip: 2. *Deus est, qui operatur in vobis velle & perficere.* Item Ieremiæ 10. dicitur. *Non est hominis via ejus; nec viri est, ut ambulet & dirigat gressus suos.* Respondet enim S. Augustinus lib: 3tio contra Julianum cap: 26. S. Paulum loqui, quatenus voluntas non potest aliquando impedire appetitum sen-

sensitivum, ne actu suo renitatur prosecutioni & executioni boni honesti: hoc est, licèt voluntas quandoq; velit, ut appetitus sensitivus hoc bonum agat, tamen appetitus non agit, sed sæpè agit malum illud, quod voluntas rationalis odit: per hoc tamen non tollitur libertas indifferentiæ in ipsa rationali voluntate, sed solùm significatur, quòd Appetitus sensitivus, qui non habet libertatem indifferentiæ, sit rebellis voluntati rationali. Aliis autem Textibus Scripturæ, hoctantùm intenditur, quòd ut ait S. Augustinus lib: gratia: cap: 25. Non quia nos nõ volumus, aut nos non agimus: sed, quòd sine Dei adjutorio, nec volumus aliquid boni, nec agimus.

Neq; dicas 3tiò. Isaiæ 41. dicitur. *Benè, aut malè, si potestis, facite.* Ergo (ut hinc infert Lutherus) Non possumus nos benè aut malè agere pro arbitrio nostro, proinde non habemus libertatem arbitrii: Respondetur enim, hoc argumentum Lutheri esse nimìs futile: nam Isaias non loquitur in illo Textu de Hominibus, sed de Gentilium Idolis, quibus exprobrat imbecillitatem, quòd cum Dii habeantur à stultis hominibus, non possint tamen alicui benè aut malè facere.

IV.

NON EST VERUM, QUOD IGNORANTIA INVINCIBILIS, A TOTO EXCUSET. Thesis 35ta in Disputatione habita Vitebergæ, Anno 1517. Exstat Tomo 1. fol: 56. & additur, hanc Thesim *esse contra omnes Scholasticos.*

IN Commentario etiam suo in cap: 12 Genes: fol: 23. & 24. ait *Theologi, in Scholis, alias ignorantiæ species numerant. Prima est, quam vocarunt, Invincibilem, confictam ad excusanda peccata, quòd nullâ industriâ, vel diligentiâ vinci, aut emendari possit. -- Quid multa? Quisquis invincibilem ignorantiam, excusationem mereri statuit: invertit Scripturam Sacram, & tollit à mundo Christum, Justitiæ Solem.*

Quid ignorantia invincibilis.

Præmitto. Ignorantiam Invincibilem, quæ etiam dicitur, Antecedens, esse illam, quæ nec directè, nec indirectè, vitari potest. Dicitur autem. *Antecedens*, quòd omnem voluntatis actum antecedat. Dicitur. *Invincibilis*: quia morali diligentia tolli, ac superari non potest, eò quòd nunquam in mentem venerit cogitare, aut dubitare de Opposito: vel etsi venerit in mentem, adhibitâ diligenti inquisitione, ignorantia depelli, & veritas cognosci non potuit. Hoc præmisso.

Ignorantia invincibilis excusat à peccato.

Assero prædictam Lutheri Thesim, non tantùm esse contra omnes Scholasticos, sed etiam esse contra Scripturam Sacram: contra Patres: & contra Rationem rectam. Nam Christus Dominus Ioan: 9. dicit Judæis. *Si cæci essetis, non haberetis peccatum.* Et cap: 15. *Si non venissem, & locutus fuißem eis, peccatum non haberent: nunc autem excusationem non habent de peccato suo.*

S. Augustinus lib: de Natura & Gratia: cap: 67. *Non tibi reputatur ad culpam, quod invitus ignoras: sed quòd negligis quærere, quod ignoras.* Et Epist: 48. *Certè nullius crimen, maculat nescientem.* Doctor Angelicus 1. 2. q. 76. a. 3. *Ignorantia* (inquit) *quæ est causa actûs, quia causat involuntarium, de se habet, quod excuset à peccato: eò, quòd voluntarium est de ratione peccati. - Si sit talis ignorantia, quæ omninò sit involuntaria, siue quia est invincibilis, sive quia est ejus, quod quis scire non tenetur, talis ignorantia omninò excusat à peccato.* Et Q: 3. de Malo art: 7. *Ignorantia, quæ omninò involuntaria est, non est peccatum.*

Est item Thesis illa contra rectam Rationem: hæc enim dictat, id, quod ex ignorantia invincibili fit, esse omninò involuntarium: utpote non præsupponens cognitionem, proinde non esse peccatum actuale, hoc enim definitivè: Est Voluntaria transgressio Legis. Et, si judiciô Omnium rectè sentientium, is non censetur verè peccâsse, qui dormiendo, se, vel alium vulneravit, nullatenus volendo aut intendendo id, quod facit: cur censendus est peccâsse, qui aliquid mali egit ex ignorantia invincibili? Si ignorantia invincibilis, in politicis negotiis, seu in politia, seu in foro Civili, excusat à toto: ut concedit Lutherus locô su-

ſuprà citatô, & in cap: 29. Geneſis. Cur eadem ignorantia, in Theologia, ſeu in foro conſcientiæ, etiam à toto non excuſat? Hinc meritò ab Alexandro VIII. inter 31. Theſes prohibitas, numeratur 2da hæc: *Tametſi detur ignorantia invincibilis Juris naturæ, hæc in ſtatu naturæ lapſæ operantem ex ipſa, non excuſat à peccato formali.* Et à Pio V. & Gregorio XIII. inter damnatas Propoſitiones Baji, 68va Propoſitio hæc: *Infidelitas purè negativa, in iis, in quibus Chriſtus non eſt prædicatus, peccatum eſt.*

Objectiones jam ipſius Lutheri in contrà, audiamus, quæ habentur locis citatis. 1. Si (inquit) ignorantia invincibibis excuſaret à toto *tunc ſequeretur, quòd omnes homines fierent ſalvi.* 2dò. *Error & ignorantia invincibilis eſt, quòd Judæi crucifixerunt FILIUM DEI: Sicut teſtatur Paulus 1ma. Corinth: 2. non tamen ideo excuſantur coram DEO.* 3tiò. *Cicero fuit invincibiliter ignorans DEI, & tamen peccavit.* 4tò. *Quid multa? Quisquis, excuſationem, hanc ignorantiam mereri ſtatuit, evertit Scripturam Sacram, & tollit è mundo Chriſtum, Juſtitiæ ſolem, revelatum ideo, ut hanc ignorantiam tolleret: verè enim nihil aliud eſt, quàm peccatum originale, quod, qui excuſatione dignum ſtatuit, nihil Sacrarum rerum tenet.*

Objectiones Lutheri ſolvuntur: nec non & aliorum.

Reſpondetur ad 1mum. Negando ſequelam. Quia qui peccant, non habent (ordinariè & per ſe loquendo) ignorantiam invincibilem, ſed vincibilem, & culpabilem: quæ non excuſat à peccato. Hæc porrò eſt, cùm poteras, & tenebaris ſcire, aut diſcere, & in mentem veniebat dubitare, nec ſtuduiſti intelligere: ut explicant communiter Doctores.

Ad 2dum. Iudæi habebant ignorantiam culpabilem & vincibilem, videntes enim tot miracula Chriſti, & vitæ ejus innocentiam, aut ſaltem de utroq; ab oculatis teſtibus audientes, ſciebant, vel ſaltem facilè ſcire potuiſſent: ſi voluiſſent, Chriſtum non promeruiſſe mortem: imò eſſe verum Meſſiam (nec contrarium teſtatur S. Paulus) ideoq; non excuſantur coram DEO. Ad 3tium. Cicero, & pleriq, ſapientiores Gẽtiles, non habuerunt etiam ignorantiam invincibilem: quia (ut teſtatur

S. P.

S. Paulus ad Rom: 1.(*Quod notum est Dei* (id est ut explicant Doctores: quod naturaliter de Deo est cognoscibile, ut Deum esse unum, æternum, mundi Principem & vindicem) *manifestum est in illis* (id est illis, in illorum mente, intellectu, conscientia) *Deus enim illis manifestavit* (per creationem & res creatas) *invisibilia enim ipsius, à creatura mundi, per ea quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur, sempiterna quoq; ejus Virtus & Divinitas: ita, ut sint inexcusabiles, quia cùm cognovissent Deum, non sicut Deum glorificaverunt.* Et sic Cicero coluit Idola, & eadem colenda esse ob metum legum politicarum docuit lib: 1. de Natura Deorum. Ad 4tum. Est falsissimum, quòd peccatum originale sit ignorantia invincibilis: falsa item Lutheri Thesis 36ta (exstat Tom: 1. in Disp: supra citata.) hæc: *Ignorantia DEI, & sui, & boni operis, est natura semper inuincibilis.*

Ad solvendas alias Objectiones.

NOTA 1mo. Dum dicitur Luc: 12. *Servus, qui cognovit voluntatem Domini sui, & non fecit secundùm voluntatem eius, vapulabit multis: qui autem non cognovit, & fecit digna plagis, vapulabit paucis.* Loquitur Scriptura de ignorantia vincibili, si nempe voluntatem Domini, ignoravit culpabiliter, & neglexit saltèm postulare à Deo, talis ignorantiæ depulsionem: talis enim servus, digna plagis facit, & vapulabit; paucis tamen, nam ignorantia vincibilis, dummodò non sit affectata, minuit peccatum, utpotè faciens illud involuntarium secundũ quid, atq; sic reddit peccantem, dignum minori pæna, quàm si omninò sciens peccaret. Simili ratione explicandus est Textus ille Psal: 24. *Delicta Iuventutis & ignorantias meas, ne memineris Domine.*

Nota 2do. S. Augustinus de gratia & lib: arb: cap 3. dum explicans citatum textum Lucæ, ait. *Ecce ostendit Dominus, graviùs peccare hominem scientem, quàm nescientem.-Illa ignorantia, quæ non est eorum, qui scire nolunt, sed eorum, qui tanquam simpliciter nesciunt, neminem sic excusat, ut sempiterno igne non ardeat.* Et Epistola 154: *Si quis bonum putaverit esse, quod malum est; & fecerit, hoc putando,*

utiq;

utiq; peccat? & ea sunt peccata ignorantiæ, quando quis benè fieri putat, quod malè fit. Ad Auctoritatem S. hujus Doctoris dicendum est, eum loqui de ignorantia vincibili: quod ipsum deducitur, tum ex dictis suprà, tum ex verbis illis: *Ignorantia eorum, qui tanquam nesciūt.* id est, qui culpabiliter ignorant: & in alio Textu dicit: *hoc putando, peccat*: si nempe, putet id aliquo modo culpabiliter: aliàs, solùm esset peccatum materiale.

V.

IN OMNI OPERE BONO, IUSTUS PECCAT. In Assertione Articuli 31. Tomo 2do.

ET quidem peccat *mortaliter.* Nam statim in sequenti articulo, scilicèt 32do. dicit idem Lutherus. *Opus bonum optimè factum, est veniale peccatum, non naturâ suâ, sed misericordiâ DEI. - Omne opus Iusti, damnabile est, & peccatum mortale, si Iudiciô Dei judicetur.* Et lib: contra Latomum. *Ut sequitur: Homo vivit. Ergo est risibilis: ita sequitur: Homo benè facit. ergo peccat.* Item sermone de Novo Testamento: sive de Missa. *Caveamus à peccato, sed maximè à bonis operibus & legibus: ad satanam spectant Christiani cum bonis operibus.*

Impietas illius Thesis, demonstratur.

Quidnì cum Viro Apostolico V. P. Petro Scarga, Concionatore Celeberrimo Regum Poloniæ annis 26. meritò contra scripta Lutheri hæc, (Conc: in Dominica 10 post Pentecosten) exclamem. O os, & scriptum infernale! quàm id difficilè creditu est, Lutherum fuisse hominē, ratione præditum: qui tanta cum diligentia, Dæmonem & infernum commendat. Plenæ sunt Paginæ Sacræ Scripturæ, in quibus legitur, à Deo nobis præcipi bona opera, & commendari, & iis merces promitti. Itanè Deus, summa Bonitas, commendat & præcipit ut peccemus mortaliter? Summaq; Justitia, promittit mercedem peccatis? Job 1. v. 22. dicitur: *In omnibus his, non peccavit Iob labiis suis.* Et Lutherus

rus aſſerit: Omnia verba ipſius, fuiſſe damnabilia & peccata mortalia.
Princeps Apoſtolorum 2.Petri 1. ſcripſit: *ſatagite, ut per bona opera, certam veſtram vocationem faciatis: hoc enim facientes, non peccabitis aliquando.* Lutherus è contra ſcripſit: peccare eos graviter, qui faciunt opera bona. S. Paulus 1. ad Corint: 7. ait. *Si acceperis uxorem, non peccaſti.* Et iuxta Lutheri ſenſum, peccat is, qui exercet Actus Fidei, Spei, Charitatis, aliarumq; Virtutum. Spirituiné Sancto, & Apoſtolis, an potiùs Luthero credemus? S. Jacobus dicit. *Fides ſine operibus mortua eſt.* mortuané ſine peccatis? 1. Joannis 3. legitur *Qui facit peccatũ, ex diabolo eſt.* Ergo juxta Lutheri Theſim, ex diabolo ſunt Juſti, facientes opera bona. Quanta impietas!

Non omnia Infideliũ & Peccatorũ opera, sunt peccata.

Nota. In Eccleſia Catholica certum eſt (ut conſtat ex dictis) falſum eſſe, quòd in omni opere bono, Iuſtus peccet: imò etiam in ſententia Catholicorum, falſum eſt, quòd Infidelium, & Peccatorum opera omnia, ſint mala & peccata. Quidquid contradicat Lutherus & Calvinus cum ſuis Aſſeclis. Hoc ipſum

Probatur 1mò, Ex Scriptura Sacra, in qua legitur, quòd Deus ſæpè remuneratus ſit quædam opera Infidelium, & Peccatorum. Ergo apparet, non omnia eorum opera, eſſe mala, & peccata, ſed quædam eſſe moraliter bona. Conſequentia patet. Quia Deus cùm ſit juſtiſſimus & Sapientiſſimus, non ſolèt remunerari peccata, verùm potiùs ea punire. Antecedens, graviſſimi Theologi Orthodoxi, inter quos & Bellarminus lib: 5. de Gratia & libero Arb: cap: 9. deducunt ex Scriptura. Nam Exodi cap: 1. habetur: Deum benè feciſſe Obſtetricibus Ægyptiis, eò, quòd clam conſervârunt Hebræorum infantes mares, quos Pharàó juſſerat interfici. *Benè ergo fecit DEUS* (inquit Sacer Textus (*Obſtetricibus & quia timuerunt obſtetrices Deum, ædificavit eis domos.* id eſt (ut S. Auguſtinus, Theodoretus, Corn: à Lapide, aliiq, explicant.) auxit eis rem familiarem, dedit eis opes, rerum temporalium abundantiam: prolem item numeroſam, divitem, honoratam, inſignem, longæuam. Porrò, dedit eis hæc: *Non quia mentitæ ſunt Pharàóni, ſed quia* (ut loquitur

S.

S. Augustinus lib: contra Mend: cap: 10., & sequ:) *in homines Dei misericordes fuerunt: non est itaq; in eis remunerata fallacia, sed benevolentia: benignitas mentis, non iniquitas mentientis: & propter illud bonum, Deus etiam huic malo ignovit.* Et Ezech: cap 29. legitur. Quòd Deus infideli Exercitui Nabuchodonosoris Regis Babylonis, mercedem dederit, donans ei spolia Ægypti, eò, quòd fideliter suo Regi serviviſſet in bello contra Tyrum, quam Urbem post duodecim continuos annos suæ obsidionis, ob sua peccata, Deus everti volebat per illum Exercitum: unde in hunc locum S. Hieronymus scripsit: *Ex eo quòd Nabuchodonosor mercedem accipit boni operis: intelligimus, etiam Ethnicos, si quid boni fecerint, non absq; mercede, Dei judicio præteriri.* Constat item Danielem cap: 4. dixisse Nabuchodonosori: *Nunc Rex Consilium meum placeat tibi, peccata tua, eleemosynis redime.* Cùm ergo Daniel eleemosynis à Nabuchodonosore faciendis, Iram DEI placari posse censeat, supponit eleemosynas illas non esse peccata. Neq; dicas. Nabuchodonosorem eo tempore, quô hæc illi dixit Daniel, non fuisse infidelem, sed fidelem & justum: siquidem capite immediatè superiori, nempe 3tio dicitur, ab illo esse positum Decretum, ut omnis dispereat, quicunq; locutus fuerit blasphemiam contra Deum Hebræorum. Respondet enim Cornelius à Lapide cum aliis. Regem Nabuchodonosorem non planè tunc conversum fuisse ad Deum: nam non vetuit coli Idola: nec præcepit coli unum Deum Hebræorum: sed tantùm vetuit, ne quis eum blasphemaret. Ninivitæ etiam infideles, placârunt iram Dei humiliatione sui.

Probatur 2dò. Tum auctoritate Concilii Tridentini, Seſſ: 6. Can: 7. definientis: *Si quis dixerit, Opera omnia, quæ ante justificationem fiunt, quacunq; ratione facta sint, verè esse peccata: vel odium Dei mereri, anathema sit.* Et Concilium Constantiense damnavit Propositiones Huſſi triginta, inter quas est & hæc: *Si homo est vitiosus, & agat quidquam, tunc agit vitiosè.* Tum auctoritate summorum Pontificum. B. Pii v. & Gregorii XIII., qui damnârunt Propositiones Mi-

chaëlis Baji, inter quas sunt & hæ. 25: *Omnia opera infidelium sunt peccata.* 35: *Omne quod agit peccator, vel servus peccati, peccatum est.* 40ma: *In omnibus suis actibus, peccator servit dominanti cupiditati.* Et Auctoritate Alexandri VIII. damnantis Propositiones 31. inter quas 11. est hæc: *Omne quod non est ex Fide Christiana supernaturali, quæ per dilectionem operatur, peccatum est.* Tum Auctoritate Patrum, S. Hieronymus in Epist: ad Demetriadem. *Quid enim? multos Philosophorum, & audivimus, & legimus, & ipsos vidimus, castos, patientes, modestos, liberales, abstinentes, benignos, amatores justitiæ, non minùs quàm sapientiæ. Unde quæso hominibus alienis à Deo, ista quæ Deo placent, unde hæc illis Bona, nisi ex naturæ bono.* S. Augustinus lib: 5. de Civit: Dei cap: 15. dicit, Deum dedisse Romanis tam vastum imperium, ut in hac vita eorum bonas virtutes remuneraretur. Et lib: de Spir. & Lit: cap: 27. *Impiorum nec Deum verum, veraciter, justèque colentium, quædam facta vel legimus, vel novimus, vel audimus, quæ secundùm justitiæ Regulam, non solùm vituperare non possumus, verùm etiam meritò rectèque laudamus.* mox addit. *Quanquam si discutiatur, quo fine fiant, vix inveniuntur, quæ justitiæ debitam laudem defensionemve mereantur.* Sed eo ipso, quòd dicat, *Vix inveniri.* clarè insinuat, hujusmodi operationes, aliquando poni ex fine debito, & tunc omni culpa vacare.

Quid requiritur ut quis honestè operetur

Probatur 3tiò Ratione. Quia ut quis honestè operetur, sufficit, quòd operetur sciens & eligens propter honestatem virtutis, & quia operatio, est Rationi consona, nec requiritur actualis Relatio ad Deum, sed sufficit, quòd ad Deum referatur virtualiter Relatione virtuali, quæ continetur in ipso amore virtutis, & honestatis affectu, naturâ suâ tendente ac referibili in Deum. Aliàs enim, si adultus Catholicus, qui nunquam letaliter peccavit, daret eleemosynam, ex hoc tantùm fine, quia honestum est, subvenire indigenti: vel si obediret Parentibus, præcisè ex eo, quia id est conforme rectæ Rationi, peccaret: quod est per se absurdum.

Ad solvendas objectiones in contra.

NOTA Imò. Illud Effatum Salvatoris Matth 7. v. 18. *Non potest arbor mala, bonos fructus facere*: intelligendum de voluntate perversa, quà tali. Dum dicit Apostolus ad Hebr 11. *Sine fide, impossibile placere Deo.* loquitur de opere, quatenus sine fide, non conducit ad obtinendam vitam æternam. Dum verò dicit ad Romanos 14. *Omne, quod non est ex fide, peccatum est.* Per fidem hic non intelligitur fides, qua creditur in Christum, & à qua dicuntur, fideles, sed fides, quâ creditur aliquid esse licitum aut illicitum, quæ vulgò dici solet conscientia. Certum autem est apud Orthodoxos, omne illud peccatum esse, quod fit reclamante conscientia, sive fiat ab homine fideli, sive infideli. Illius quod scribit Apostolus ad Titum cap: 1. vers: 15. *Coinquinatis & infidelibus nihil est mundum* non est sensus, quòd nihil boni possint operari infideles sed sensus est (ut volunt S. Hieronymus, Ambrosius, Chrysostomus, Augustinus & alii Patres, quos vide hic apud Cornelium à Lapide) Judaizantibus & infidelibus, nihil, id est, nullus cibus est mũdus: quia hi superstitiosè & Judaicâ vel Hæreticâ mente, & conscientiâ, cibis omnibus vel abstinent, vel vescuntur: putant enim superstitiosè, legem veterem adhuc obligare etiam Christianos, & secundùm illam discernendos esse cibos.

Objectiones solvuntur.

Nota 2dò. Ex eo S. Augustinus & alii Patres passim dicunt, virtutes infidelium non esse veras virtutes, quia opera virtutis communiter (non tamen semper) fiunt ab illis propter finem vanum, nempe ut videantur ab hominibus & laudentur, honorentur &c.

VI.

NULLUM OPUS EST TAM MALUM, QUOD HOMINEM POSSIT CONDEMNARE, NISI SOLUM NON CREDERE.

In sermone super Evang: Attendite à falsis Prophetis. Exstat Tomo I, novorum Operum.

IDEM Lutherus in Postilla domestica, Conc: 1. habita feria 2da Pentec: *Summa summarum: non credere in Filium Unigenitum, & unicum & solum est peccatum in mundo, propter quod mundus judicetur.* Et lib: de Captiv: Babyl: *Homo Christianus, etiam volens, non potest perdere Salutem suam, quantiscunq; peccatis, nisi nolit credere.* Item Tomo 1mo Epist: Lat: Epist 238. ad Melanthon: *Sufficit, quòd agnovimus Agnum, qui tollit peccatum Mundi: ab hoc non avellet nos peccatum, etiamsi millies, millies, uno die fornicemur, aut occidamus.* Bone DEUS! quoties Lutherus, lib: contra Regem Angliæ: & libro Adversùs falsò dictum statum Ecclesiasticum: jactitat, se certissimum esse, quòd doctrina sua, non sit sua, sed Christi: Christum esse Magistrum doctrinæ suæ. Hujusné Doctrinæ tam impiæ, in Propositionibus citatis, contentæ, Christus Dominus est Magister? Nonné, si hæc doctrina, ut vera admittatur, laxantur habenæ ad patranda quævis scelera, excepta incredulitate, & conculcandas virtutes omnes, excepta nuda fide? Hinc Georgius Vicelius, diu apud ipsum Lutherum & Lutheranos versatus, in Libello, qui Retectio Lutheranismi: inscribitur, ait. *Quanta sit affinitas sectæ Lutheranæ cum Epicureis, notum est tonsoribus atq; in trivio pueris.- Multos ego audivi, qui dicerent: Num putas Deo curæ esse opera mea, aut peccata, si modò credam? Exuitur sensim pudor humanus & nemo eheu! malum considerat.* Nonné contra hanc nefandam Thesim Lutheri, Apostolus scribens ad Fideles Corinthios, qui credebant in Christum, acriter insurgit 1. ad Corinth: 6. *Nolite*(inquit) *errare, neq; fornicarii, neq; adulteri, neq; fures, neq; avari, neq; ebriosi, regnum Dei possidebunt.* Nonné clarè intonat S. Joannes Apoc: 21? *In Civitatem Sanctam Hierusalem*(cœlestem)*non intrabit aliquod coinquinatum, aut abominationem faciens & mendacium.* Porrò, juxta Effatum Primæ Veritatis Matth: 15. *Coinquinant hominem, cogitationes malæ, homicidia, adulteria, fornicationes, furta, falsa testimonia, blasphemiæ.* Nonné apud eundem S. Joannem Apoc: 22. legitur? *Foris canes*(id est infideles, hæretici)*& venefici & impudici & homicidæ.*

Nō sola incredulitas causat damnationē,

VII.

VII

CHRISTIANO, NEQUE OPERA, NEQUE LEX NECESSARIA EST: QUIA PER FIDEM, LIBER EST AB OMNI LEGE.

Lib: de Libertate Christiana.

ITEM in cap: 2. & in cap: 4 Epist: ad Galatas, idem Lutherus scripsit. Legi mori, nihil aliud est, quàm ad Legem non esse obligatum, ab eaq liberum esse, sive cæremonialis sit sive moralis: Certum enim est, Decalogum, solis Judæis esse datum, & non nobis. Et in Captiu: Babyl: *Christianis, per Christum libertas donata est super omnes Leges hominum.* Unde & Ius Canonicum exussit. Et. *Nisi* (ut loquitur Carolus 5tus in suo Edicto, quod exstat Tomo 2. Luth:) *civilis gladii aciem, magis, quàm fulmina, execrationes, pœnasq; Pontificias reformidaßet, indigniora longè in Civilia jura admisisset Lutherus, quàm in exustum Ius Canonicum.*

Si Christianus liber est ab omni lege? cur ergo S. Paulus ad Romanos cap: 3. scripsit? *Legem destruimus per fidem? absit: sed legem statuimus.* Quid est Legem destruere, nisi vim obligandi ab ea tollere? & S. Augustinus Lib: 3tio contra Epist: Pelag: cap: 4to ait. *Quis ita impius est, ut dicat se propterea præcepta non servare, quòd Christianus sit non sub lege, sed sub Gratia?* Cur Apostoli, Actorum 15. in Concilio Hierosolymitano statuerunt Legem Christianis, ut abstinerent ab immolatis, & sanguine & suffocato? quæ tunc temporis non erant prohibita Jure Divino. Jus enim cæremoniale veteris Testamenti, erat abrogatum, nec ullum aliud exstabat Jus divinum, quô illa prohiberentur. Cur in Conciliis Generalibus per omnia retròacta sæcula Christianitatis, multæ sunt statutæ leges, de iis, quæ Iure divino in particulari determinata non sunt? Nonné Christus dedit Prælatis Ecclesiæ, potestatem condendi novas leges obligantes in conscientia? Utiq; dictū Lucæ 10. *Qui vos audit, me audit: qui vos spernit me spernit.* Matt: 18. *Si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus & Publicanus.* ad Hebræ-

os 13. *Obedite Præpositis vestris, & subjacete illis*. 2. ad Thessal: 3. *Si quis non obedit verbo nostro per Epistolam, hunc notate & ne commisceamini cum illo.*

Lex Decalogi non est abrogata.

Lex Decalogi, quò ad obligationem, non est per Christum abrogata: est enim lex illa, hac in parte non Vetus, non Mosaica, verùm Naturalis & immutabilis: non abrogatam item constat ex Scriptura Matth: 5. *Non veni solvere legem, sed adimplere.* Math 19. *Si vis ad vitam ingredi, serva Mandata.* Solùm autem per Christum abrogata est lex vetus, quò ad cæremonias & Judicia; unde dicitur Lucæ 16. *Lex & Prophetæ, usq; ad Joannem.* Abrogata autem: tum quia imperfecta erat, & nimiùm gravis. Tum quia complectebatur figuras, iam per Christum impletas. Hinc habetur, graviter errâsse Lutherum, docentem, liberum esse Christiano homini servare Judaica festa & circumcidi. Nam ad quemdam Langum Apostatam scripsit. Tomo 2do Lat: Epist. *Mea sententia est, liberum eße judicialia, sicut & cæremonialia Moysis, servare.*

VIII
LEGIS DIVINÆ OBSERVATIO, EST IMPOSSIBILIS.

Dicit enim Lutherus in lib: de libertate Christiana. *Æquè nobis impoßibilia sunt omnia præcepta, atq; illud unum: Non concupisces.* Imò omnia opera hominis, sunt juxta illum, peccata mortalia. & Calvinus lib: 2. Instit: cap: 7. sectione 5ta ait. *Quòd autem impoßibilem legis observationem diximus: id est paucis verbis explicandū, simul & confirmandum.*

Si ita est, ergo erravit Veritas Prima, dicens. Matth: 11. *Tollite jugum meū super vos: jugum enim meum suave est, & onus meum leve.* Et Joan: 17. de Apostolis: *Tui erant, & mihi eos dedisti & sermonem tuum servaverunt.* Erravit S. Joannes 1. Joan: 5to. scribendo. *Hæc est Charitas*

ritas

Dei, ut mandata eius custodiamus, & mandata ejus gravia non sunt. Et S. Lucas de Zacharia & Elisabetha, Lucæ 1. *Erant justi ambo ante Deum, incedentes in omnibus mandatis & justificationibus Domini, sine querela.* S. Paulus ad Philip: 4. dicit. *Omnia possum in eo, qui me confortat.* Et cur suffulti Dei Gratiâ, nequeant Justi servare Legem Dei? Utiq juxta eundem, ad Rom: 2. *Non auditores legis justi sunt apud Deum, sed factores legis justificabuntur.* Ergo si impossibilis hæc est justitia, quæ consistit in factura & impletione legis, erit justitia homini impossibilis. Rectè S. Basilius, Oratione in illud: Attēde tibi. ait: *Impium est dicere, impossibilia esse Spiritûs præcepta.* Et S. Hieronymus Lib: 3tio contra Pelagianos. *Deus impossibilia non jubet, hoc nulli dubium est.* Accedit. si impossibile est ut observetur lex Decalogi, ut vult Lutherus & ejus Asseclæ: quidni eiusmodi Novatores, rectè censeantur esse Idololatræ, fures, homicidæ, adulteri falsi testes &c.

AD SOLVENDAS IN CONTRA OBJECTIONES.

Nota 1. Præceptô, Non concupisces: non prohibetur concupiscentia in Actu 1mo: seu pronitas & inclinatio ad illicita, seu motus concupiscentiæ, rationem prævenientes, hæc enim nec sunt peccata propriè: nec subsunt libertati nostræ: sed prohibetur consensus, qui est in nostra potestate, unde dicit S. Augustinus lib: 1. de Nuptiis & Concup: cap. 23. *Ipsa concupiscentia non est peccatum in regeneratis, quando illi ad illicita opera, non consentitur.* Illa tamen concupiscentia in Actu 1mo, vocatur in Scriptura Sacra, *peccatum,* intellige impropriè, quia scilicet est causa peccati, si ei consētiatur; in Scriptura enim peccatum sumitur, non solùm pro culpa, verùm etiam pro effectu & causa peccati, ut Deuteronomii cap: 9. v. 21. Ad Romanos cap: 7. v. 5. & 14to. *Objectiones solvūtur.*

Nota 2dò Falsum est, quòd Concupiscentia in actu primo, sit ipsum peccatum Originale. Ratio est. Quia peccatum Originale tollitur per Baptismum. Sed concupiscentia non tollitur. Ergo con-

cu

cupiscentia, non est peccatum originale. Minor constat experientia. Major cōstat ex Scriptura. Dicitur enim Joā:1. *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccatum mundi.* Originale autem est totius mundi peccatum. Act.22. *Exurge & baptizare & ablue peccata tua.* Ezech:36. *Effundā super vos aquam mundā & mundabimini ab omnibus iniquitatibus vestris.* Et tali lotione, mundi erāt Corinthii: de quibus S.Paulus 1.adCorinth:6.scribit: *Hæc quidem fuistis, sed abluti estis, sed Sanctificati estis,* Hinc & M: Gregorius lib:9.Epist:39.ait. *Qui dicit, peccata in baptismate non funditùs dimitti, dicat, in mari rubro Ægyptios non veraciter mortuos.*

IX

SOLA FIDE IN CHRISTUM, EFFICERIS JUSTUS, SINE ULLIS TUIS OPERIBUS, ET MERITIS.

In Colloq: Mensal: Tit: Quòd sola fides iustificet.

IDem Lutherus supra cap: 2. ad Galatas dicit. *Fides, sine & ante charitatem, justificat.* Item in Disputatione Utrum opera faciant ad justificationem: *Fides* (inquit) *nisi sit sine ullis etiam minimis operibus, non justificat.* Item Thesi 20. & 21. in Disputatione Theologica, quæ exstat Tomo 1. folio 410. ait: *Sic sola fide in Christum, tota Ecclesia justificatur, ut neq; ratio, neq; lex neq; plenitudo ipsa legis, quæ dicitur Charitas, quidquam faciant ad justificationem.* Idem sentit & Calvinus lib:3. Inst: cap:11. *Dicimus* (inquit) *hominē sola fide justificari.*

Sed ubi habetur in Scriptura, quòd sola fides justificet sine operibus fidem sequentibus, & in ea fundatis? Meminit quidem scriptura quandoq; solius fidei, agendo de Justificatione, ut Lucæ 7. *Fides tua te salvum fecit.* Joan: 3. *Qui credit in Filium, habet vitam æternam.* Verùm etiam sæpè meminit solius timoris, spei, dilectionis, pænitentiæ, Eleemosynæ. Eccles: 1. *Qui sine timore est, non poterit justificari.* Proverb: 28. *Qui sperat in Domino, sanabitur.* 1. Ioan: 3.

Qui non diligit, manet in morte. Lucæ 7. *Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multùm.* Act: 3. *Pænitemini & convertimini, ut deleantur peccata vestra.* Tobiæ 4. *Eleemosyna ab omni peccato liberat.* Dicitur quidem Lucæ 8. *Crede tantùm & salva erit.* Et ad Rom: 3. *Justificati gratis per gratiam ipsius.* Sed primus locus Scripturæ, intelligitur tantùm de excitatione puellæ mortuæ, non de Justificatione. Rectè dicitur, justificatio fieri gratìs; non quia fit sola fide, sed quia omne conducens ad Justificationem, ut fides, ita & spes, & charitas, & alii actus supernaturales, sunt gratuitum Dei Donum.

Porrò, Thesim suprà positam Lutheri, esse erroneam, constat. Tum ex citatis locis Scripturæ, requirentis, actus timoris, spei, charitatis & Pænitentiæ, ad Justificationem. Tum quia S. Jacobus Cap: 2. ait. *Vis scire ò homo inanis, quoniam Fides sine operibus mortua est? Abraham Pater noster, nonné ex operibus justificatus est? offerens Isaac Filium suum super Altare? vides quoniam fides coöperabatur operibus illius, & ex operibus Fides consumata est, & suppleta est Scriptura, dicens: Credidit Abraham Deo, & reputatum est illi ad justitiam: videtis quoniam ex operibus justificatur homo, & non ex fide tantùm.* Quid clariùs contra Lutherum & Calvinum, qui ex sola fide hominem justificari docent, dici potest? vide dicta etiam contra Thesim 6tam.

X.

DEUS MERITA NON RESPICIT, INDIGNOS CORONAT. Libro de servo arbitrio contra Erasmum.

PLuribusq; aliis in locis, docet Lutherus, opera Justorum, non esse meritoria vitæ æternæ: imò cùm juxta ipsum: In omni opere bono, Justus peccat, & quidem mortaliter: impossibile est juxta ipsum, ut operibus bonis mereatur quis vitam æternam. Justum, in opere bono non peccare, demonstratum suprà sub Thesi 5ta. Nũc

Deus respicit merita.

præter dicta alibi, falsitas Thesis demonstratur claris Scripturæ Sacræ verbis, Matth: 5. *Gaudete & exultate, quoniam merces vestra copiosa est in cælis.* Matth: 25. *Venite benedicti Patris mei, possidete paratū vobis Regnum à constitutione mundi: Esurivi enim, & dedistis mihi mãducare &c:* Ad Roman: 2. *Deus reddet unicuiq; secundùm opera sua: ijs quidem qui secundùm patientiam boni operis, gloriam & honorem & incorruptionem quærunt, vitam æternam.* 2. ad Corinth: 4. *Momentaneum & leve tribulationis nostræ, æternum gloriæ pondus operatur.* 2. ad Timoth 4. *Reposita est mihi corona Iustitiæ.* 2. ad Thessal: 1. *Ut digni habeamini Regnô Dei, pro quo & patimini &c.*

Confirmatur ex S. Augustino Epist: 105. ad Sixtum. *Merito peccati, tanquam stipendium redditur mors, ita merito justitiæ, tanquam stipendium, vita æterna.* Et Epist 46. ad Valentinum. *Si non sunt merita, quomodo Deus judicabit hunc mundum?* Ac si diceret S. Doctor: Doctrina, quæ negat dari merita, negat simul articulum fidei de futuro Judicio.

NOTA. Sicut Christo Domino, duplici titulô, nēpe Hæreditatis, & Mercedis, data est gloria Corporis, & Exaltatio Nominis: ita hominibus justis adultis, datur vita æterna, & titulô Hæreditatis: quia sunt Filii adoptionis, & titulô Mercedis, seu Retributionis. Non sunt condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam: id est, si spectetur duratio temporis, nulla est proportio inter opera præsentia, & futuram gloriam: hæc enim est æterna, illa sunt momentanea: Si tamen spectetur gratia Sanctificans, à qua procedunt opera meritoria, & per quam dignificantur: iam inter illa, & gloriam cælestem est proportio: nam gratia sanctificans, est semen gloriæ. Opera nostra nonnisi ut facta ex gratia Christi supernaturali, merentur vitam æternam: & sic dum Deus ejusmodi opera nostra remuneratur, sua dona (ut loquitur S. Augustinus lib de gratia & libero arbitrio cap: 6to) coronat.

TRA-

TRACTATUS QUARTUS

ANTITHEOLOGICÆ LUTHERI, THESES, CONCERNENTES FIDEM, SPEM, CHARITATEM, IUSSITIAM, VOTA RELIGIOSORUM, CONVELLUNTUR.

I.

FIDES INFORMIS, EST MERA INCREDULITAS, CONTRA CHRISTUM. Thesis 5ta in Disputatione Theologica contra Satanam & Synagogam ipsius. Exstat Tomo 1. Lat: Viteb: folio 411.

NOMINE Fidei informis, intelligunt Theologi cum Magistro Sententiarum, Fidem, à Charitate, aliisq, virtutibus sejunctam. Posse autem Fidem veram, id est Theologicam, quam definivit S. Paulus ad Hebræos cap: 11. v. 1., & quæ simul cum aliis virtutibus, in Scriptura, requiritur ad salutem, posse inquam sejungi à Charitate, certum est apud Catholicos, definitumq; in Concilio Tridentino Sess: 6. cap: 15. & Canone 28. Hæcq Veritas

Fidem posse sejungi à charitate probatur.

Probatur imò ex Scriptura, Ioan 2. habetur. *Verumtamen & ex Principibus multi crediderunt in eum* (id est Christum) *sed propter Pharisæos non confitebantur, ut è Synagoga non ejicerentur, dilexerunt enim gloriam hominum magis quàm gloriam Dei.* Hìc testatur Evangelista, in illis Principibus fuisse fidem, mortali tamen peccato obstrictos fuisse, adeoq; sine charitate. Porrò, S. Joannem loqui hìc de vera fide, clarum est, quia in eodem toto Capite, sermo est de vera fide,

ut patet legenti illud Caput: de veraq́ Fide, locum illum interpretantur SS. Patres, præsertim S. Augustinus Tractatu 53. &54. in Joannem: S. etiam Paulus dicit 1. ad Corinth: 13. *Si habuero omnem fidem, ita ut montes transferam, Charitatem autem non habuero, nihil sum.* Nota. *Omnē Fidem.* non tantùm Fidem Miraculorum, sed & Fidem Promissionum. Quanquam fides Miraculorum, & Fides Dogmatica, quam Nouatores vocant Historicam, nihil aliud est, nisi vera Fides Christiana, ut sōlidè probat Bellarminus lib: 1. de Justificatione: Demum (ut alia testimonia Scripturæ prætermittam) S. Jacobus in Epistola sua dicit. *Quid proderit Fratres mei: Si quis dicat, fidem se habere, opera non habeat? Fides sine operibus mortua est in semetipsa: sicut corpus sine Spiritu mortuum est, ita Fides sine operibus.* Ac si diceret S Apostolus: Sicut corpus sine spiritu, est mortuum, hoc est, non vivum, tamen verum est corpus: ita fides in adultis, sine operibus, præsertim sine charitate, mortua est: id est, non viva, non meritoria de condigno vitæ æternæ, licèt tamen sit vera fides.

Probatur 2dò, Veritas Catholica, & Thesis Lutheri evertitur per unanimem sensum SS. Patrum, docentium, posse esse Fidem sine Charitate. sufficiat audire S. Augustinum lib: 15. de Trinit cap: 18. *Ipsam fidem non facit utilem, nisi charitas, sine charitate quippe fides potest quidem esse, sed non prodesse.* Et probat, hoc ipsum ex illo Apostoli Textu ad Gal: 5. *In Christo Iesu, neq; circumcisio aliquid valet, neq; præputium, sed fides, quæ per charitatem operatur.* Et in Enchiridio cap: 8. idem Sanctus inquit. *Sine amore, fides nihil prodest.* Cum autem aliquando Patres dicunt, fidem sine operibus, non esse veram fidem: tantùm volunt significare, quòd non sit viva, & perfecta, qualis defactò deberet esse.

Probatur 3tiò Ratione. Quia nihil obest, quò minùs possit esse Fides sine Charitate: cùm sint distinctæ Virtutes, ut constat ex illo Textu Apostoli 1. Corinth: 13. *Nunc manent tria hæc: Fides, Spes, Charitas.* Fidesq́ sit in intellectu, Charitas in Voluntate: nec Charitas, est pas-

sio

sio Fidei ab illa necessariò fluens: Fides enim non necessitat, sed solùm disponit & inclinat eum qui credit, ad diligendum eum, cui credit. Hinc habetur: quàm graviter injuriosa sit Veritati Orthodoxæ, illa Lutheri Thesis 4ta in Disputatione Theologica, ubi supra. *Sophistæ docent, fidem informem stare cum peccato mortali, quod est verè Christum negare.*

AD SOLVENDAS OBJECTIONES.

Objectiones solvuntur.

NOTA. Falsum est, quòd vera Fides, præcipuè sita sit in persuasione, quâ certò sibi quis persvadeat, atq; confidat, sibi propter Christum jam esse peccata remissa, & donatam gratiam & charitatem. Aliàs enim omnes deberent salvari, qui hanc fidem habent: Calvinistæ autem & Anabaptistæ habent hanc fidem: Ergo ex sententia Lutheri sunt in gratia Dei, & salvabuntur: Cur ergo eos vocat *Hæreticos Diabolatos*?

Falsum etiã est, quod Christus cognosci non possit sine Spiritûs sanctificatione, quæ charitatem includat. Dicitur quidem ad Rom: 10. *Corde creditur ad justitiam* Verùm per illam particulam, *corde*, vel designatur pia affectio, necessaria, ad credendum, quæ tamen non semper est Actus Charitatis: vel designatur Charitatis affectus: ut sensus sit; Fide, ut obtineatur justitia, conjungi debet cum charitate. Non tamen inde sequitur, semper Fidem Charitati conjunctam esse. Sicut timori & spei non semper conjungitur Charitas, sic nec fidei. Non dixit S. Jacobus: Fidem sine operibus, esse mortuam, sicut homo est mortuus sine spiritu: sed sicut corpus est mortuum sine spiritu: quod tamen verum est corpus, licet non vivum.

II.

EXTRA SYNAGOGAM PELLENDÆ SUNT ISTÆ BARBARÆ SOPHISTAEUM VOCES: FIDES INFORMIS, FORMATA, GRATIA GRATUM FACIENS &c: SUNT ENIM SUMPTÆ EX PHILOSOPHIA RATIONIS, ET ILLIS OBSCURATUR VERITAS CHRI-

CHRISTIANA, & NEC A DOCENTE, NEC AUDIENTE, INTELLIGI POSSUNT. Thesis 14. 15. & 6ta. Exstat ibi ubi superior.

IDem Lutherus In Comment: supra cap: 3. ad Galat: vocat illam divisionem, *Satanicam & pestilentem.* Et Calvinus dicit lib: 3. Instit: cap: 2. sectione 8. *Nugatoria est fidei formatæ & informis distinctio: nihil hoc Commentô, potest fingi absurdiùs.*

Quid fides informis, formata.

Extra Synagogam sanè Judaicam pellantur illæ voces: sed non extra Ecclesiam Catholicam: non extra scholas Orthodoxorum. Rectè Scholastici Doctores, Fidem sine Charitate, dicunt esse informem, cum Charitate formatam. Nam à Charitate, tanquam à forma perficitur, & viva, actuosa, operansq; redditur Fides: aliàs sine illa, mortua est, & desinit esse actuosa. Juxta illud S. Jacobi. *Fides sine operibus* (præsertim sine charitate) *mortua est.* Et illud S. Pauli ad Galat: 5to: *In Christo valet Fides, quæ per Charitatem operatur.*
Gratia gratum faciens, est donum supernaturale, quod alicui gratìs confertur ad propriam salutem uniuscuiusq; & utilitatem: hæcq; alia est Actualis; quæ datur nobis per modum auxilii transeuntis: alia Habitualis, quæ per modum qualitatis permanentis: & hæc Gratia, nos Deo gratos & acceptos facit: juxta illud ad Ephes: 1. v. 6. *In laudem gloriæ gratiæ suæ, in qua gratificavit nos in dilecto Filio suo.*

Gratia autem gratìs data, est donum supernaturale, quod gratìs alicui confertur, ad aliorum præcipuè salutem & utilitatem: ut est donum Prophetiæ, linguarum, miraculorum, & alia dona, quæ enumerat S. Paulus 1. ad Corinth: 12. v. 7.

Maledicentiâ & moribus barbaro Luthero, quid mirùm, si videantur barbaræ illæ voces, à Theologis Scholasticis, Viris judicii & ingenii politissimi, per tot retroàcta sæcula usurpatæ? Scripsit Lutherus Lib: contra Latomum, *Anima mea odit hanc vocem Homousios*, ab universo Concilio imo Nicæno & omnibus Orthodoxis perlibenter receptam. Idem Lutherus odio habuit vocem hanc, Trinitas

nitas: quare hanc formulam precandi. *S. Trinitas unus Deus: miserere nobis.* Ex Litaniis, id est ex publicis & communibus Ecclesiæ precibus, sustulit. Non mirùm ergo, quòd ei displicuerunt & illæ voces. *Fides formata, & informis &c:* Quod olim S. Hilarius lib 1. decertans pro voce, Homousios, scripsit in Constantium Arianum, id pari ratione pro illis vocibus dici potest. *Novitates vocum, sed profanas devitari jubet Apostolus: tu, cur pias excludis? Innascibilem Patrem, scriptum nusquam legis, nunquid & hoc negandum erit? quia novum est?* Multæq aliæ voces ex Scripturis Patrum eliminandæ forent.

Non sunt illæ voces ex Philosophia rationis, sed in Scriptura Sacra, & Patribus, clarè infundantur, ut ostensum: iisq elucidatur Veritas Orthodoxa. Nimis rudem necesse est Scholasticum esse, qui intelligere nequeat illas voces, quarum significatum explicavimus suprà.

III.

INFUSA FIDES, EST MERUM SOMNIUM, & NIHIL IN RERUM NATURA, NISI VOCABULUM PLANE FICTITIUM, SICUT CHIMÆRA & HIRCOCERVUS. Thesis 10. Exstat ibi, ubi duæ superiores.

SI ita quid fictitium est, cur non ostendit Lutherus similem implicantiam inesse Fidei infusæ, qualis inest Hircocervo? cur non demonstrat esse somnium? Planè temerarium est, illud dicere somnium, de cujus vera reali existentia, habentur fundamenta gravia, desumpta ex Scriptura, Conciliis, Patribus & Ratione.

Dicitur enim 1. Corinth: 13. *Nunc* (id est adhuc, scilicet in præsenti vita) *autem manent Fides, Spes, Charitas, tria hæc.* Quibus verbis, satis clarè, permanentia & durabilitas horum trium exprimitur: Actus autem Fidei (idem dic de Actibus Spei & Charitatis) non sunt quid permanens, sed sunt motus vitales momentanei, aut illicò defici-

Fides infusa, & aliæ Virtutes Theologicæ dantur infusæ.

cientes. Ergo præter Actus Fidei, seu Actualem Fidem, datur Fides permanens, quæ sit Virtus supernaturalis infusa, vi cuius Potentia naturalis, alioqui ex se impotens completè elevetur immanenter ad Actus Fidei supernaturales eliciendos: hæcq; Virtus vocatur Fidès infusa. Item ad Hæbreos 11. dicitur. *Sine Fide, impossibile est placere Deo.* Sed Parvuli baptizati, placent Deo: cùm tamen non habeant Fidem Actualem (dicere enim, quòd infantes dum baptizantur, quosdam motus, internis sensibus percipiant, promissiones Evangelicas audiant, & actu credant, ut vult Lutherus In Comment: super 3tium cap: Epist: ad Galat: est contra omnem rationem & sensum) Ergo loquitur S. Paulus locô citatô, de Fide habituali, seu infusa. Item præter Charitatem Actualem, seu Actus Charitatis transeuntes, datur Charitas permanens, juxta illud 1. Joan: 4. *Qui manet in Charitate, in Deo manet.* & Apoc: 4. *Habeo adversum te pauca, quòd primam charitatem reliquisti: Memento, igitur unde excideris.* Et 1. Corinth: 13. *Charitas nunquam excidit.* Non enim ex actu rectè dicitur, quis excidere. Ergo etiam præter Fidem & Charitatem Actualem, datur Fides & Charitas permanens, seu infusa.

Quod ipsum asserunt Concilia. Nam in Clementina unica *de Summa Trinitate*, ex Concilio Viennensi, cui interfuerunt supra trecēti Episcopi, præter Cardinales & Patriarchas, & ipsum summum Pontificem Clementem 5tum, habetur sic. „Quantum ad effectum Baptismi, reperiuntur Doctores quidam Theologi, opiniones contrarias habuisse: quibusdam ex ipsis dicentibus, per virtutem Baptismi, parvulis quidem culpam remitti, sed gratiam non conferri: aliis contra asserentibus, quòd culpa eisdem in baptismo remittitur: & Virtutes ac informans Gratia infunduntur quò ad habitum, etsi non pro illo tempore, quò ad usum: Nos autem attendentes generalem efficaciam mortis Christi, quæ per Baptismum applicatur pariter omnibus baptizatis, opinionem secundam, quæ dicit, tam Parvulis, quàm adultis, conferri in Baptismo informantem Gratiam, & Virtutes, tanquam probabiliorē,

liorem, dictis Sanctorum ac Doctorum modernorum Theologiæ Consonam, & conformem, Sancto approbante Concilio, duximus eligendam. Et Concilium Moguntinum cap: 7. dicit: Cum venia peccatorum, homo Gratiam Dei, & Spiritum Sanctum, unà cum Fide, simul Charitatē in corde diffusam ac spem accipit, iisq Donis in ipso manentibus, non iam solùm reputatur aut nominatur, sed verè existit Justus. Concilium etiam Tridentinum Sess: 6. Cap: 7. de Justificatione, habet hæc: Jn justificatione, cum remissione peccatornm, hæc omnia simul infusa accipit homo per JESUM CHRISTUM cui inseritur, Fidem, Spem, & Charitatem. Et additur: Hanc infusionem esse effectum Baptismi, & Sanctitatis stolam donatam, sive novum hominem, quem omnes baptizati induunt. Ex his Textibus patet, Concilia loqui de Habitibus & Virtutibus permanentibus, non de Actibus: Actus enim neq; sunt quid permanens, nec infunduntur, sed eos potentia rationalis completa aliquo comprincipiò supernaturali, physicè effectivè producit: nec in omni Justificatione ponuntur omnes dicti actus: ut constat in justificatione Parvulorum, in qua nullus est ipsorum actus, aut etiam in justificatione Adultorum, qui per solam Attritionē supernaturalem disponuntur ad justificationem.

Conciliorum Assertionem comprobant Patres: S. Gregorius Magnus Lib: 1. Moraliū Cap: 28. Explicans illud Job, Cap: 1. *Natiq; sunt ei septem Filii, & tres Filiæ:* dicit, tres Virtutes Theologicas significari, per tres Filias: septem autem dona, seu Virtutes Spiritus Sancti, significari per septem Filios. *Habent* (inquit) *in nobis septem hi Filii, tres procul dubiò, sorores suas, quia quidquid utile, hi Virtutum sensus faciunt: Spei, Fidei, Charitatiq; conjungunt.* Et Divus Augustinus Lib: 3. de Doctrina Christiana cap: 39. ait: *Homo, Fide, Spe, Charitate innixus, eaq; inconcussè retinens, non indiget Scripturis, nisi ad alios instruendos.* Comprobat demum & Ratio. Quia omnis Natura permanens exigit Facultates permanentes ad agendum connaturaliter opera sibi consentanea: sic ignis exigit calorem: aqua frigus, anima

rationalis suas potentias: Sed in homine Justo, Gratia Sanctificans est per modum Naturæ in ordine supernaturali: cùm sit Participatio quædam Divinæ Naturæ. Juxta illud 2. Petri 1. v. 4. *Per quem* (id est Christum) *maxima & pretiosa nobis promissa donavit, ut per hæc efficiamini Divinæ Consortes Naturæ.* Ergo Gratia sanctificans in homine Justo exigit facultates permanentes ad agendum supernaturaliter: quales facultates, principaliter sunt Virtutes Theologicæ, Fides, Spes, Charitas.

Obiectiones solvuntur.

AD SOLVENDAS OBJECTIONES IN CONTRA.

NOTA. Necessitas Fidei infusæ est inter alia, hæc, ut homo habens Gratiam sanctificantem, connaturaliter eliciat actus Fidei. Non est otiosa in Parvulis baptizatis Fides infusa, licet non possint hìc & nunc elicere actus Fidei: sicut non sunt otiosi habitus naturales & virtutes in Adultis dormientibus: imò etiam vigilantibus, licèt sæpè per longum tempus non sequatur operatio illorum habituum. Fides infusa est singulare ornamentum parvuli animæ.

Quid Virtus Theologica.

Virtus infusa Theologica satis rectè definitur sic: Est habitus potentiæ rationalis ad bonum, entitativè supernaturalis, à nobis physicè improductus, habens pro objecto formali quid Increatum. Hæreticus nec de articulis Fidei, nec de Conclusionibus Theologicis habet Fidem infusam, sed nonnisi fidem naturalem acquisitam. Si quis per inadvertentiam, sine ulla pertinacia, contra Ecclesiam, incidat in aliquem errorem contrarium Veritati Fidei, non amittit Fidem infusam. Per infidelitatem, qualis est quælibet Hæresis, amittitur infusa Fides: ut dicit Concilium Tridentinum Sess: 6. cap: 15. Idemq; dixisse videtur S. Paulus qui qualescunque Hæreticos, censet à Fide excidere. *Habens* (inquit) *fidem & bonam conscientiam, quam quidam repellentes, naufragaverunt circa Fidem.* 1. ad Timot: 1. adeoq; ab ea exciderunt.

IV.

FIDES NUNQUAM EST PRÆTERITARUM RERUM, SED SEM

SEMPER FUTURARUM. Thesis 8va in Disputatione Theologica de Voto Religionis. Exstat Tomo 1. fol: 374.

Vtiq; quivis Christianus, si ei proponatur, firmiter tenetur credere, à Deo mundum creatum esse ante aliquot millia annorum, fuisse diluvium: ex Ægypto populum Israeliticum eductum esse in signis & prodigiis? Christum Dominum esse conceptum de Spiritu Sancto, natum ex MARIA Virgine, passum, crucifixum, mortuum & sepultum: qui omnes Articuli Fidei sunt de præteritis utiq; ? Tenetur item multa credere præsentia, scilicet esse Ecclesiam unam, Sanctam Apostolicam: Esse in Eucharistia ritè consecrata verum Corpus Christi &c: Unde S. Bernardus Sermone 6. in Vigilia Nativit: ait: *Fides nostra est velut quoddam æternitatis Exemplar, præterita simul & præsentia ac futura, sinu quodam vastissimo comprehendit.* Credimus enim Articulos à Deo revelatos, quorum alii sunt de rebus præteritis, alii de præsentibus, alii de futuris. Si Lutherus, ea quæ supra enumeravimus, non credidit: non fuit Christianus: si credidit, ruit ipsius Thesis.

Christianus tenetur multa credere præterita & præsentia.

V.

QUIUIS CHRISTIANUS EST INTERPRES SCRIPTURÆ SACRÆ, ET JUDEX EX OFFICIO TOTIUS FIDEI, SEU DOCTRINÆ CHRISTIANÆ.

Lutherus enim in Concione super Evangelium. *Attendite à falsis prophetis.* Exstat Tomo 1. Operũ Germ: ait. *Non est ullus judex in rebus Spiritualibus de Christiana Doctrina, nisi homo, qui veram Fidem in corde suo habet, sive sit vir, sive mulier, sive juvenis, sive senex, sive servus, sive ancilla, sive doctus, sive indoctus: quia Deus non respicit Personas, omnes æqualiter amat. Quocirca solæ etiam po-*

testatem judicandi habent. Et Tomo 2do in libro de instituendis Ministris Ecclesiæ. *Quisq; Christianus, est judex liberrimus omnium, qui docent eum, intus à Deo solo doctus - Est Christianus: ergo habet Spiritum Sanctum: ergo est judex omnium. Quivis Christianus habet Spiritum Sanctum. Ergo docetur omnia à Spiritu Sancto. Ergo omnia judicare potest. Unctio docet illum omnia. Ergo judicis officio ritè fungi potest. Christianus est certus, quid credere debeat. Ergo est judex omnium.*

Quanta ex dicta Thesi inconvenientia,

Si ita. Cur ergo Luthere, illorum Verborum Christi: *Hoc est Corpus meum:* interpretationem Zvinglianam rejicis hanc? *Hoc significat corpus meum,* vel. *Hoc est Figura Corporis mei.* Item Carolstadianam, quam, se ex revelatione quidem Patris Cœlestis, didicisse Carolstadius jactabat, nempe istam: *Hic sedet Corpus meum.* Cur in libro de Cæna scripsisti? *Diabolus, Zvinglio & Oecolampadio id juris largitus est, ut Verbum Substantivum in hac Propositione Christi: Hoc est Corpus meum: macerent, & in suam mentem transforment.* Non tantùm Diabolus, sed & tu ipse, illâ tuâ Thesi & doctrinâ erroneâ superiùs annotatâ, non tantùm Zvinglio, Oecolampadio, sed quibusvis perversissimis hæresiarchis, verba Scripturæ Sacræ macerandi, & in suam mentem transformandi, id juris largitus es.

Verè extremæ est dementiæ, tribuere officium Judicis supremi, cuivis Christiano, etiam ex imperita plebe, decernendi, quænam sint dogmata divinitùs revelata: nam ex hoc sequitur inevitabiliter Chaos Religionum: & eversio Fidei veræ Christianæ. Quivis enim Calvinista cum suo Calvino, Socinista cum suo Socino, Mennista cum suo Mennone: & alius quivis Sectarius, facilè dicet se esse Christianum, Spiritu Dei & vera Fide præditum, hominem Spiritualem: proinde habere se ius interpretandi scripturam (rejecta etiam interpretatione à Patribus & Conciliis facta) judicandi de Fidei Doctrina, sibiq omninò videri suam fidem esse conformem Scripturæ.

Omnes enim Hæretici (ut inquit Divus Augustinus Epist: 222. ad Consen-

sentium) *Scripturas sibi videntur sectari, cùm suos potiùs sectentur errores. Neq; aliunde* (ut idem S. Tract: 18. in Joan: notat) *natæ sunt Hæreses, & quædam dogmata perversitatis, illaqveantia animas, nisi dum Scripturæ bonæ, intelliguntur non benè: & quod in eis non benè intelligitur, etiam temerè & audacter asseritur.*

Quomodo quivis Christianus est interpres Scripturæ Sacræ? siquidem scripsit S. Petrus in 2. Epist: capite ultimo: quòd in Epistolis S. Pauli Apostoli *sunt quædam difficilia intellectu, quæ indocti & instabiles depravant, sicut & cæteras Scripturas.* Ipseq; Lutherus Tomo 3. fol: 133. & 134. in Præfat: Oper: in Psalmos: ad Fridericum Saxoniæ Ducem, scribit: *Nullus adhuc præstare potuit, Sanctissimorum & Doctissimorum Patrum, Psalterium in omnibus, legitimo sensu suo intelligere & docere - ingenuè confiteri me oportet, me ignorare, legitimam habeam, nec ne intelligentiam Psalmorum - Scio esse impudentissimæ temeritatis eum, qui audeat profiteri, unum librum Scripturæ, à se in omnibus partibus intellectum. Quin quis audeat præsumere, unum Psalmum rotundè ab ullo intellectum?* Vide etiam dicta suprà in Tractatu 1mo sub Thesi 4ta.

Dixit quidem CHRISTUS Dominus (ut pro sua Thesi defendēda ineptè adducit Lutherus) Joan: 10. *Oves meæ, vocem meam audiunt: vocem alienorum non audiunt.* Sed idem Christus Dominus dixit Apostolis & eorum successoribus Episcopis Pastoribus suæ veræ Ecclesiæ, Lucæ 10. *Qui vos audit, me audit, qui vos spernit, me spernit.* Matt: 18. *Qui non audierit Ecclesiam, sit sicut Ethnicus & Publicanus.* Item. Unde scis Lutherane, quòd tu sis ovis Christi? cur non potiùs Calvinista? vel Mennista? vel Socinista? imò cur non potiùs sunt oves Christi, Catholici, qui pro suæ Fidei antiquæ veritate, tot habent evidentia documenta? *Objectionibus satisfit.*

Scripsit quidem & S. Paulus in Epistola sua 1. ad Corinth: 2. *Spiritualis judicat omnia:* sed non scripsit: *Quilibet spiritualis judicat omnia.* Item. Unde de hoc, quòd quilibet, qui se Christianum vocat, sit spiritu-

ritualis? Et si quilibet Christianus est spiritualis & judex doctrinæ Christianæ, ut dicis Luthere: Cur non potiùs tales judices sunt Christiani Pastores Ecclesiæ, & Doctores, quos ad docendum posuit Deus in Ecclesia:ut scribit idem Apostolus ad Ephes: 4. v. 11. Cur non veriùs Concilia legitima, & præcipuè Pontifex Romanus, est Publicus omnium Judex in rebus Fidei? cùm constet ab iis judicari omnia spectantia ad Fidem, per Spiritus Sancti directionem, & specialem Assistentiam, juxta promissionem factam Petro, & ejus successoribus à Christo, Matt: 16. v. 18. & Luc: 22. v. 32. & alibi.

VI.

NON POTEST VITARI PRÆSUMPTIO, NEC ADESSE VERA SPES, NISI IN OMNI OPERE TIMEATUR JUDICIUM DAMNATIONIS. Thesis 8va In Disputatione Theologica Heidelbergæ habita, Anno 1518. Exstat Tomo I. Lat: Viteb: folio 55.

HÆC Thesis infundatur in illa graviter erronea Thesi. *Justus in omni opere, peccat mortaliter:* Cuius falsitas demonstrata est suprà in Tractatu 3. ad Thesim 5. Item in Admirandis Lutheri in Tractatu 3tio.

Accedit. Quia aliàs & in ipso Actu Fidei veræ elicito, & in ipso actu Spei (qui actus utiq sunt aliquod opus?) timendum esset judicium damnationis: quare potiùs ab omni opere bono, & ab Actibus Fidei, Spei, & Charitatis abstinendum, ne incurratur damnatio. Proinde dicta Thesis est excidium omnîs Actûs boni.

NOTA. Quòd Hæretici, ea quæ sperant, non sperant per spei virtutem Christianam, & supernaturalem: sed tantùm per spem naturalem, & usu quodam acquisitam, à qua, utpotè non firma, facilè labũtur in desperationem, vel etiam in Atheismum.

VII.

OPORTET COR HUMANUM, LEGEM DEI, ATQUE ADEO DEUM IPSUM, SUPRA MODUM ODISSE.

CONTRA hanc Thesim adeo impiam, sufficiat hoc dicere, quod contra eandem citatam à se, doctissimus Cornelius à Lapide, plurimis sapientiâ & eruditione plenis Voluminibus in Sacram Scripturam editis, de Ecclesia optimè meritus, scripsit in Commentario in Epist. ad Galat: Cap: 2. numero 47: *Audite* (inquit) *hæc, qui à Luthero ejusq; Asseclis miserè decepti estis, & exhorrescite vocem, non hominis, sed satanæ. Quid enim satanas, Dei & hominum juratus hostis, de Deo magis blasphemum, & horrendum dicere, ac hominibus in suam perniciem suggerere posset?* An non usurpanda S. Ambrosii lib: de Incarnationis Dominicæ Sacramento cap: 6. verba illa? *Quæ tantum Sacrilegium, inferna, vomuerunt!*

NOTA. Juxta Lutheri effatum, sicut fides infusa est, merum somnium, & nihil, nisi planè vocabulum fictitium, sicut Hircocervus, sic & Spes infusa, & Charitas infusa, sunt Luthero somnia: Orthodoxi tamen Theologi, gravissimis fundamentis innixi, indubitanter asserunt, infusas illas Virtutes Theologicas, esse quid reale nemine cogitante. Vide dicta suprà sub Thesi 3tia.

VIII.

PRÆLIARI ADVERSUS TURCAS, EST REPUGNARE DEO VISITANTI INIQUITATES NOSTRAS PER ILLOS.

ITA expressè Lutherus in Assertione Articuli 34ti. Tomo 2do.

Joannes Aurifaber Prædicans & Commensalis Lutheri, eiusq insignis Encomiastes, refert historiam eiusmodi: In Colloq: Mens: Capite 75. *Præstans* (inquit) *& fide dignus Vir, nomine Schmaltcius, Civis Ha*

Lutherus, Turcarum Imperatori placet, ac meritò.

Hageonensis, qui in legatione ad Turcam fuit, referebat; Turcicum Imperatorem interrogâsse, quid hominis esset Lutherus, & quot annos natus? cùmq; respondisset Legatus, esse illum annorum circiter 48. dixisse Turcam: Optarem eum adhuc juniorem, nam me sibi gratiosũ Dominum haberet. Certè (licèt non desunt etiam alia motiva, de quibus egi in Admirandis Lutheri Tract: 3.) ob prædictam Thesim, meritò gratiosus debuit esse Turcis, Lutherus.

Thesis falsitas demonstratur.

Si Christianis non est licitum bellum contra immanissimos Christianitatis hostes, iniquos Regnorum Christianorum invasores, & Possessores, Turcas; nullum absolutè licitum erit bellum Christianis: ut volunt Anabaptistæ: idq; ipsum olim docebant Manichæi, damnantes omnia bella, etiam ea, quæ gesta sunt per Moysen, imperante Deo, ut refert S. Augustinus lib: 2. contra Faustum cap: 74.

Si præliari adversùs Turcas, repugnat Deo, Cur ergo S. Bernardus, ad ejusmodi prælia vehementer incitabat Christianos? ut constat ex ejus libro 2. de Consideratione ad Eugenium Papam: idemq; præstitit B: Capistranus, & alii, Sanctitate & prodigiis clari? ejusmodiq prælia, multùm probaverunt Concilia Generalia, Lateranense sub Innocentio 3tio; Lugdunense, Viennense, Florentinum &c: totusq Orbis Orthodoxus? sæpèq; ex Turcis victoriæ relatæ, non sine quandoq manifestis prodigiis?

BONE DEUS! præliari adversùs Turcas, est repugnare DEO: & non est repugnare DEO, si concitentur & impellantur à Luthero, seditiosissimis & sanguinariis scriptis, Cæsar, Reges, Principes Christiani, contra Romanum Pontificem, & Ordinem totum Ecclesiasticum? *Nunc agite* (clamat Lutherus in Diabolico suo libro, brevì ante mortem suam contra Papatum edito) *ò Cæsar, Reges, Principes, & Magnates & quicunq; prehendere potestis, apprehendite: maledicta sit manus otiosa & ignava. Et primùm eripite Pontifici, Romam, Romandiolam, Urbinum, Bononiam, & omnia quæ tenet, & possidet - Deinde*

Quantum Lutherus furit contra Papatũ.

Ma-

Magistratus debebat Pontificem & Cardinales, & reliquos ejus ordinis & superstitionis & impuræ Sanctitatis consortes capere; eisq; ut blasphemi solent puniri, linguas per cervicem extrahere, & præcidere, & patibulo eas ex ordine redigere, ad eum planè modum, quô ipsi Bullis suis signa appendere solent: licèt hæc pæna longè inferior & mitior esset ipsorum blasphemiis & idololatriis. Et lib: contra Ordinem Ecclesiasticum: idem diabolo & blasphemiis plenus Lutherus evomuit. *Quicunq; opem ferunt, corpus, bona, & famam in hoc impendunt, ut Episcopatus devastentur, & Episcoporum regimen extinguatur, hi sunt dilecti Filii Dei, & veri Christiani.*

Pro sua defendenda Thesi proponitLutherus argumenta hæc.

Argumenta Lutheri solvuntur.

1mò. DEUS visitat seu punit iniquitates nostras per Turcam, estq Turca virga iniquitatis nostræ. Ergo est illicitum bellum contra Turcas. Retorqueo 1mò. Lutherus dixit blasphemè, quòd Deus per Pontifices Romanos, tanquam per turcissimos Turcas puniat in anima & corpore Christianos (intellige Lutheranos, & alios sectarios) ergo non licet bellare contra Pontifices Romanos: cur ergo concitat Reges contra Papam? Retorqueo 2dò. Deus visitat nos & punit per bella, morbos, pestem, famem, suntq hæc virga iniquitatis nostræ, & flagella Dei: ut constat ex Scriptura Deut: cap: 28. v. 10. & 2. Regum cap: 12. v. 10. & Ieremiæ cap: 14. v. 1. Ergo est illicitum, se defendere, remedia adhibere, munire se, contra pestem, arcere famem. En quàm vitreum est telum Lutheri! Accedit. Quòd (ut benè notat Valentia cum Theologis aliis) Deus per illa flagella & mala, sæpè non vult nos interimi, consumi, aut exspoliari, sed solùm vult per illa flagella, & mala, subire nos mortis periculum. (quod per se est magna pæna) & permittit quoq nos, mortem & alia eiusmodi mala incurrere, quando ea ipsi à nobis non satis propulsamus.

Argumentum 2dum Lutheri est tale. Non dedit nobis Deus hactenus nisi votum, & jactantiam belli in Turcas suscipiendi. Toties conventum est, toties consultatum, toties propositum, & palpavi-

mus, Vota nostra, imperante Deo irrita fieri. Ergo præliari adversus Turcas est repugnare Deo. Retorqueo. Filii Israel quando pugnârunt contra Beniamitas, sæpè victi & fugati sunt, & tamen non repugnârunt tunc Deo: quia illud bellum susceperant ex positiva beneplacente voluntate Dei, qui illis & Ducem militiæ designavit, & ad bellandum hortatus est, ut expressè habetur in lib: Judicum cap:20.

Directè Respondeo. Negando Consequentiam, propter datam Retorsionem. Respondeo 2dò, falsum etiam absolutè esse Antecedens. Constat enim, multoties à Christianis Turcas victos fuisse, ut à Georgio Castriotto (qui ab ipsis Turcis ob multitudinem & Magnitudinem victoriarum, dictus est SCANDERBEK: id est, Alexander Magnus: SCANDER enim significat Alexandrum, BEK Magnum) superatos item ad Belgradum à B. Capistrano: ab Alberto Austriaco ad Insulas Enchiadas: à Sigismundo III. Poloniarum Rege ad Chocimum. &c:

Nota. Cùm Lutherus, Germanis suis non posset persvadere illam Thesim esse veram, revocavit eam postea in libro Visitationis Saxonicæ, suadendo bellum contra Turcas, & temerarios vocando eos (proinde & se ipsum) qui clamant, non esse bellandum contra Turcas.

IX

CHRISTIANIS, PRÆCEPTO CHRISTI INTERDICTUM EST, NE CONTENDANT IN JUDICIO.

SIc docet Lutherus Tomo 1mo in Explicatione 8vi Præcepti. Consonat Luthero Melanthon in Locis Communibus cap: de abrogatione legis, ubi ait: *Contendere judiciô, Christianis non licet.* In eodem errore hæserunt olim Valdenses, & nunc hærent Anabaptistæ. Contrarium huic errori docet Tum Scriptura Sacra multis in locis, præsertim 1. ad Corinth: 6. Sæcularia (inquit S. Paulus) Judicia

si

si habueritis, contemptibiles in Ecclesia illos constituite ad judicandum. - Sic non est inter vos sapiens quisquam, qui possit judicare inter fratrem suum? Tum perpetua praxis Ecclesiæ: incipiendo enim à têporibus Apostolorum, fieri consveverunt apud Christianos tam judicia Ecclesiastica, quàm sæcularia: ut constat ex Historiis. Experientiâ item constat, Officium Judicum, & Judicia, utilia & necessaria fuisse & esse ad bonum Reipublicæ statum conservandum.

Ex hac erronea Thesi & sensu Lutheri, profluxerunt convicia illa in Leges, Canonistas & Juristas lata, probrosissima. Ex his aliqua recenseo. In Libro contra Catharinum: & in Colloq: Mens: Tit: de Juristis. Item in Libro ad Nobilitatem Christianam, Lutherus ait. *Decretales, sunt stercus Papæ: sunt impiæ, solo spiritu satanæ efflatæ. Bonum foret, si Jus Canonicum, à prima litera usq; ad ultimam, funditùs aboleretur, & nullus sit ampliùs Doctor super terram. Non est turpior administratio Reipublicæ, quàm apud Christianos, per Jus Pontificium & Civile. Canonista, est Diabolista & asinista, merusq; Diabolus. Gratianus* (qui Canones plurimos collegit ex Scripturis & Responsis Pontificum, ex Conciliis & ex Patribus) *asinus fuit, qui nihil prorsus intellexit. Omnis jurista, est nequista aut ignorista: & Iuristæ sunt inimici Christi, impii, blasphemi, nihil, asini, bestiæ, filii dæmonis, & ejus discipuli, socii Luciferi damnati.* Et Tomo 5. Ienensi Germ: serm: de liberis ad Scholam mittendis. *Quando loquor de Iuristis, non tantùm intelligo Doctores, sed totum Opificium ut Cãcellarios, Scribas, Judices, Advocatos, Notarios &c:*

Convicia à Luthero lata contra Leges, Canonistas, & Juristas.

Nota 1mò. Juxta doctrinam Lutheri, Homo Christianus est liber ab omni lege. Hinc sequitur, non teneri eum ad leges Iustitiæ servandas. Vide dicta suprà sub Thesi 7. in Tractatu 3tio.

Nota 2dò. Juxta eundem Lutherum, Christianus & Evangelicus Articulus est iste: *Nullus est Dominus Civilis, nullus est Prælatus, nullus est Episcopus, dum est in peccato mortali.* Approbavit enim Lutherus omnes Articulos Joannis Hussi, his verbis: *Dico, omnia* da-

Iuxta Lutherũ, nullus est Domin⁹.

nullus est Episcopus, dū est in peccato mortali.

damnata Joannis Hussi, Evangelica & Christiana. Inter illos autem Articulos 30. damnatos à Concilio Constantiensi, citatus Articulus est trigesimus. *Nullus est Dominus Civilis &c:* Quòd si nullus est Dominus Civilis, existens in peccato mortali: sequitur evidenter inevitabiliter (loquendo conformiter ad Principia Lutheri) omnes Catholicos Reges, Principes, Dominos, non habere jus ullum in Dominia sua: proinde contra Justitiam peccare, de illis & circa illa pro libitu disponendo: & toties peccare graviter, quoties disponunt: sunt enim juxta Lutherum, servi Antichristi Papæ, Idololatræ colendo Sanctos &c: & sic sunt, in peccato mortali. Sequitur 2dò Omnes subditos Catholicorum Dominorum solutos esse à vinculo obtemperandi illis. Sequitur 3tiò paritate Rationis, Judices, cujuscunq́ sint sectæ, si sciantur esse in aliquo peccato mortali, non esse judices: consequenter nulla posse esse licita & valida judicia illorum.

X.

VOTA RELIGIOSORUM SUNT IMPIA, & DEO REPUGNANT. In libro de Votis Monasticis.

ALIA, ex innumeris quæ contra Vota, & Religiosos evomuit Lutherus, & Vicleffus, Vide infra in Notato 5to, Nunc Thesim hanc esse verè impiam, & Deo repugnantem, antequam demonstrem, præmittenda aliqua duxi.

Quid Votum.

Præmitto 1mò. Votum ut sic; est Promissio Deo facta deliberatè de bono possibili, & meliori. Ita communiter Theologi cum S. Thoma 2. 2. q. 88. art: 1. & 2. In idem ferè incidit, quòd S. Gregorius Nyssenus Homilia 2. de Oratione Dominica Naturam Voti explicando, dixit. *Votum est promissio alicujus rei, quæ pietatis nomine dedicetur & sacris destinetur.* Ex qua definitione habetur, ut possit aliquod opus esse materia Voti, tres universaliter requiri, & sufficere con-

conditiones: scilicèt 1mò, Ut illud opus, quod vovetur, sit in nostra libera potestate. 2dò, Ut sit bonum opus. 3tiò, Ut sit tale opus bonum, quod naturâ suâ non privet hominem majori aliquo bono, & quod magis placeat DEO.

Præmitto 2dò. Ex Fide Catholica, certum est. Votum per se esse Opus bonum, laudabile, gratum Deo. Ratio est: Tum quia Scriptura plurimis in locis Vota commendat, & hortatur ad illa implenda, Deuteron: cap: 23. à vers: 21. *Cùm votum voveris Domino Deo tuo, non tardabis reddere: quia requiret illud Dominus Deus tuus. Et si moratus fueris, reputabitur in peccatum. Si nolueris polliceri, absq; peccato eris. Quod autem semel egressum est de labiis tuis observabis, & facies, sicut promisisti Domino Deo tuo.* Eccles: 15. *Vota Justorum placabilia.* Isaiæ 19. v. 21. *In illa die, colent eum in hostiis, & in muneribus: & Vota vovebunt Domino, & solvent.* Quô locô sermo est de Christianis. ut notant, Hieronymus, Cyrillus & cæteri omnes, exponendo hunc locum Isaiæ. Quò etiam spectat illud Psalmi 75. v. 12. *Vovete, & reddite Domino Deo vestro, omnes, qui in Circuitu ejus, adfertis munera.* Quod etiam S. Augustinus interpretatur, Christianis dictum esse: *Quisq;* (inquit) *quod potest voveat, & reddat. Non sitis pigri ad vovendum, non enim vestris viribus implebitis.* Anna etiam 1. Regum 1. vovit Domino Filium Samuelem, in obsequium Templi, & est exaudita à Deo. Tum quia SS. Patres impensè commendant officium vovendi, quorum Textus vide apud Bellarminum Lib: 2. de Monachis, & alios. Tum quia ut rectè ait S. Thomas 2.2. q. 88. artic: 4. Promissionem Deo facimus, non propter eius utilitatem, utpote qui à nobis certificari non indiget: sed propter nostram utilitatem, in quantum vovendo, voluntatem nostrã immobiliter firmamus ad id, quod expedit facere; & ideo expediens est, vovere. Porrò, votum, est Opus præstantissimæ Virtutis, nempè Religionis. Tum quia Isaiæ 19. dicitur. *Colent eum in hostiis, & vota vovebunt Domino.* Sed colere Deum, est Actus propriè Religionis,

Votum per se est opus bonum, & gratum DEO.

onis. Ergo votum est Opus, seu Actus Religionis. Tum quia, ut ait S. Thomas art: 5. *Cum Votum sit promissio, Deo facta, & promissio nihil est aliud, quàm ordinatio quædam ejus, quod promittitur, in eū, cui promittitur: unde Votum, est ordinatio quædam eorum, quæ quis vovet in Divinum cultum, seu obsequium. Et sic patet, quòd vovere, propriè est Actus Latriæ, seu Religionis.* His præmissis.

Vota substātialia Religiosorū, placent DEO.

Assero. Rectè à Religiosis vovetur Deo Paupertas, Castitas, & Obedientia.

Probatur Imò. Quod per se bonum ac gratum Deo est; rectè Deo vovetur: cùm, ipsa quoq vovendi Religio, sit bona & grata Deo. Sed Paupertas, Castitas, & Obedientia, sunt quid per se bonum, ac gratum Deo. Ergo rectè voventur. Majoris Veritas constat: tum ex Præmissis: tum ex solutione implicita Objectionum contenta in Notatis, infrà dandis. Minor etiam est certa. Nam quòd Paupertas voluntaria, sit bona & grata Deo; si fiat studio perfectionis, constat, Tum ex illis verbis Christi Matt: 5. *Beati pauperes spiritu.* quod de Paupertate etiam voluntaria explicant SS. Patres, Hieronymus, Ambrosius, Basilius, Leo, Beda & alii. Tum ex illo Testimonio Christi, Matth: 19. *Si vis perfectus esse, vade & vende omnia quæ habes, & da pauperibus, & habebis Thesaurum in cœlo.* Hic certè Christus ostendit id non esse Præceptum: Adolescentem enim illum adhortatus est, ut id faceret ratione perfectionis majoris obtinendæ, ultra Præcepta, ut etiam exponit S. Augustinus Epist: 89. Quæstione 4. *Magister bonus, mandata legis ab ista excellentiore perfectione distinxit: ibi enim dixit: si vis ad vitam ingredi, serva Mandata: hic autem: si vis perfectus esse, vade & vende omnia.* Tum quia per Paupertatem voluntariam exuitur affectus rerum temporalium; sicque homo redditur aptior ad Charitatis perfectionem.

Quòd Castitas etiam sit Opus bonum, & gratum Deo, patet, tum ex Scriptura, Isaiæ cap: 56. à v. 4. Sap: cap: 3. à v: 13tio. Matthæi cap: 19 à v. 12. Et ex Divo Paulo 1. Corinth 7. *Qui* (inquit) *ma-*

matrimonio non jungit Virginem ſuam, melius facit. - Dico non nuptis, & Viduis, bonum eſt illis, ſi ſic permaneant, ſicut & ego. Tum quia uſus venereorum, propter delectationis vehementiam, & curam annexam providendi proli, familiæ, impedire ſolent Animum, quò minùs expeditè in Deum feratur: Caſtitatem tamen non eſſe præceptam à Chriſto, clarè dicit S. Paulus 1. ad Corinth: 7. *De Virginibus, præceptum Domini non habeo.* Et S. Auguſtinus Lib: de Virginitate Cap: 30. *Virginitatem*, vocat, *Opus Supererogationis.*

Demum quòd Obedientia, ſit opus bonum, ſeu, quòd bonum ſit, tradere ſe alterius prudentiæ regendum, qui locò Chriſti habeatur, per ſe clarum eſt: comprobatq́ S. Apoſtolus ad Hebræos 13tio. *Obedite* (inquit) *Præpoſitis veſtris, & ſubjacete eis: ipſi enim pervigilant, quaſi rationem pro animabus veſtris reddituri, ut cum gaudio hoc faciant, & non gementes: hoc enim non expedit vobis.*

Probatur 2dò Aſſertio. Quia Scriptura Novi Teſtamenti, juxta SS. Patres explicata, mentionem eorum cum laude facit, qui aliqua ejuſmodi Vota fecerunt. Voti Caſtitatis emiſſi exemplum 3plex eſt in Scriptura. 1mò de Beatiſſima Virgine legimus ſic Lucæ 1. *Dixit MARIA ad Angelum. Quomodo fiet iſtud quoniam virum non cognoſco?* S. Auguſtinus lib: de Virginit: cap. 4. explicat verba hæc. *Quomodo fiet iſtud quoniam virum non cognoſco: quod profectò non diceret, niſi Deo Virginem ſe ante voviſſet.* Similiter explicat S. Gregorius Nyſſenus, S. Anſelmus, S. Bernardus, Beda, & omnes Theologi cum Magiſtro Sententiarum in 4. diſt: 30. Certè unius Auguſtini, vel Bernardi hac in parte ſenſus, præferendus eſt ſenſui omnium Novatorum contrarium aſſerentium. Porrò, Rupertus in Cantic: c. 3. Toſtatus in Exod: cap: 35. Et quidam alii Theologi, probabiliſſimè cenſent B. Virginem, primam omnium, Virginitatis votum emiſiſſe.

B. Virgo votum emiſit Virginitatis.

2dò, Chriſtus cùm laudat Eunuchos Matth: 19. qui ſe ipſos caſtraverunt propter Regnum Cœlorum, eos haud dubiè laudat, qui ex multùm intenſo deſiderio conſequendi Regnum Cœlorum,

&

& singulari studio placendi DEO Optimo, obstrinxerunt se voto continentiæ, & amputârunt libertatem contrahendi Matrimonium, ut explicat S. Augustinus Lib: de Virginit: cap: 23. *Quid*(inquit)*veracius, quid lucidius dici potuit? Christus dicit, Veritas dicit: eos qui pio proposito ab uxore ducenda se continuerunt, castrare se ipsos, propter regnum Cælorum. Et contra, humana vanitas, impia temeritate contendit*(perpendite hoc bene Novatores) *eos qui hoc faciunt, præsentem tantummodò necessitatem molestiarum coniugalium devitare, in Regno cœlorum ampliùs quidquam cæteris non habere.* Non absimiliter verba illa Christi explicant S. Epiphanius, S. Fulgentius & alii Patres.

3tiò. S. Paulus laudat eo ipso Votum Continentiæ, quòd dicat 1. ad Timoth: 5. quasdam viduas damnationem incurrisse, quia hoc votum à se factum, violârunt. *Adolescentiores* (inquit) *Viduas devita, cùm enim luxuriatæ fuerint in Christo, nubere volunt, habentes damnationem, quia primam fidem irritam fecerunt.* Ubi, per primam fidem, non intelligitur comunis fides, de observandis divinis præceptis, data DEO in Baptismo, ut Novatores quidam fingunt; Hæc enim non violatur per Matrimonium: siquidem Lex Divina non prohibet baptizatis Matrimonium, sed per primam fidem, intelligitur votum continentiæ, ut omnes antiqui Patres interpretantur, tum Græci, tum Latini, Imò & Concilium Carthaginense 4tum, cui interfuerunt Episcopi 214. & Concilium Toletanum 4tum, cui interfuerunt Episcopi 70. Ex Patribus sufficiat Augustinum lib: de Virginitate capite 33. audire. *Habentes* (inquit) *damnationem, quoniam primam fidem irritam fecerunt, id est, in eo quod primò voverunt, non steterũt.* Et in Psal: 75. *Quid autem ait Apostolus de quibusdam, quæ voverunt & non reddiderunt? Habentes* (inquit) *damnationem, quia primam fidem irritam fecerunt: voverunt, & non reddiderunt.* Concilii etiam Carthaginensis 4. Can: 104. verba sunt hæc: *Si quæ Viduæ quantumlibet in minoribus annis positæ, se devoverunt Domino, & ueste*

Quid est, Primam fidem frangere?

veste laica abjecta, sub testimonio Episcopi & Ecclesiæ, religioso habitu apparuerint: postea verò ad Nuptias sæculares transierint, secundùm Apostolum damnationem habebunt, quoniam fidem Castitatis, quam Domino voverunt, irritam facere ausæ sunt.

Votum paupertatis fecisse Apostolos, sufficienter cum S. Augustino Lib: 17. de Civit: cap: 4. & aliis Patribus colligitur ex iis verbis S. Petri: *Ecce nos reliquimus omnia.* Ananiã item & Saphiram peculiari votô se abdicasse proprietate rerum temporalium, colligunt plurimi SS. Patres (Hieronymus, Augustinus, Gregorius, Fulgentius, Chrysostomus & alii) ex illis verbis ad Ananiam, *Act*: 5. *Cur tentavit satanas cor tuum mentiri te Spiritui Sancto? & fraudare de pretio agri?* quid enim est mentiri Spiritui Sancto, nisi fallere promissionem illi factam? Præterea, gravissima illa pæna, quæ continuò inflicta est Ananiæ & Saphiræ, satis probare videtur, majus illud peccatum fuisse, quàm simplicis mendacii.

De Voto obedientiæ non habetur forsan expressè directè mentio in Scriptura. Tamen cùm Scriptura laudet sæpè Obedientiam, Præpositis & Maioribus exhiberi solitam, laudet item Vota, quæ fiunt de re per se bona, & ad ea facienda hortetur: insuper doceat, à Deo nullum fieri verum miraculum in confirmationem erroris. Aliunde autem constet, Obedientiam Religiosam multis veris miraculis à Deo comprobatam, hinc clarè sequitur, Obedientiam è sensu Sacræ Scripturæ rectè voveri.

Accedit. Quia Christus Dominus dixit Matth: 19. *Si vis perfectus esse, vade vende omnia &c: & veni sequere me.* perfecta autem sequela Domini (ut sapienter notat Bellarminus, Suarez & alii) quæ in abnegatione sui ipsius, id est, in perfecta obedientia consistit, includit votum, quô quis ita semetipsum abneget subjiciendo judiciũ & volantatem suam in omnibus, alterius judicio & voluntati, ad imitationem Christi, qui pro nobis factus obediens usq ad mortem ut non possit retrocedere.

Confirmatur Assertio. Tum quia nullus est ex SS. Patribus, qui Vota Religiosa improbaverit: imò nullus est, qui de illis mentionem faciendo, ea non multùm probaverit: quin & aliqui contra vituperatores Vitæ Monasticæ & Votorum, libros integros scripserunt, ut S. Chrysostomus, S. Thomas, S. Bonaventura &c: Tum quia probat ea antiquissimus usus in Ecclesia Dei, & multa Concilia Generalia. Item ea comprobat donum Prophetiæ & patrandi miracula collatum pluribus, sanctitate insignibus Religiosis. Et certè, si in Veteri Lege (ut certum est) rectè ex Voto offerebatur Deo Vitulus, vel Agnus: Quidni in Nova Lege rectè fiat, si quis ex Voto corpus, Animam, & bona externa in perpetuum offerat Deo: scilicet Corpus, per continentiam: per obedientiam, intellectum & voluantatem: per Paupertatem, bona externa?

In ordine ad solvendas obiectiones & hactenus dicta confirmanda.

Obiectionibus satisfit.

NOTA 1mò. Libertas hominis ut est libertas Christiana ad serviendum scilicet justitiæ (juxta illud Apostoli ad Rom: 6.) *Gratias Deo quòd servi fuistis peccati, liberati autem à peccato, servi facti estis justitiæ*: non tantùm non minuitur per obligationem Voti, sed etiam augetur & firmatur: nam Voti obligatio adigit voventem, ne faciat id, quod vel repugnat justitiæ, vel occasio esse posset peccati. Minuitur quidem libertas humana, si consideratur ut est facultas ad utrumlibet, sed ut sapienter notat S. Augustinus in Epistola sua 45. in qua Armentarium Riparium, & huius uxorem hortatur ad perfectum mundi contemptum, quem jam voverant. *Non est* (inquit) *gratulanda libertas, quâ fit, ut non debeatur, quod cum lucro redditur. Non te vovisse pæniteat, imò gaude, jam tibi sic non licere, quod cum tuo detrimento licuisset. Felix est necessitas, quæ in meliora compellit.*

NOTA 2dò Christiani, per Fidem non ita sunt obstricti Deo, ut si liberè non voverint, teneantur omnino servare Castitatem, vel Paupertatem. Judæi per Vota sua non fecerunt injuriam Deo, ut ad-

admittitur. Et quomodo Religiosi Christiani per vota sua, facient?

Ille verè censetur Pauper, qui nullius rei temporalis est Dominus: & taliter defacto est quilibet in particulari Religiosus Professus. Donum continentiæ, est Donum Dei, sed tamen est simul in potestate nostra, Dei gratia adjuvante: quam non denegat Deus petentibus se & facientibus quod in se est. Nec patitur Deus quemquam tentari, supra quod ipso auxiliante, sufferre potest. Potuerunt hi & hæ, & tu non poteris? dicebat rectè S. Augustinus.

NOTA 3tiò. Si cum Joviniano dicas. Si omnes Virgines fuerint, quomodo stabit genus humanum? Respondet 1mò S. Hieronymus Lib. in Jovinianum: *Noli metuere, ne omnes virgines fiant, difficilis res est Virginitas, & ideo rara, quia difficilis.* 2dò Respondet S. Augustinus Cap 10. de Bono Conjugali. *Novi* (inquit) *quosdam qui murmurent, quid, si omnes velint ab omni concubitu abstinere: unde subsistet Genus humanum? Utinam omnes hoc vellent. Multò citiùs Dei Civitas compleretur, & acceleraretur terminus sæculi.* Unde & S. Apostolus dixit 1. Corinth: 7. *Volo omnes esse sicut me ipsum* quò ad continentiam & Cælibatum. Dixit quidem etiam idem Apostolus *Meliùs est nubere quàm uri.* Meliùs inquam, nisi iam per Votum is nupserit Christo, aliàs enim teste eodem Sancto, damnationis æternæ reus est, qui primam fidem voto Castitatis obstrictus violat, ducendo uxorem, & nubendo. Adverte, *Uri*, hic non significat calere, vel tentari libidinis ardoribus, sed iis vinci & consentire: nec enim uri dicitur ab igne, qui ejus calorem sentit, sed qui ab eo læditur.

NOTA 4tò. Falsum est, quòd ex Monasteriis olim liberum fuerit ad sæculum redire: nam se etiam olim votorum trium emissione Religiosi obligabant. Unde dicit S. Augustinus In Psal: 75, *Nemo positus in Monasterio Frater dicat: Recedo de Monasterio: neq; enim illi qui ibi non sunt, ad Deum non pertinent. Respondebitur enim ei: sed illi non voverunt, tu vovisti.* Falsum item est, Religiosos esse otiosos homines: licèt enim maxima eorum pars, ordinariè nunc à labore ma-

nuum abſtineat(eò quòd nunc majori Chriſtianorum liberalitate, Cænobiis, vel annui proventus, vel quotidianæ Eleemoſynæ ſufficiéter ſuppeditentur) tamen aliis excellentioribus diſtinentur occupationibus: non ſolùm enim vacant orationi mentali, & vocali, Officio divino canendo, vel recitando, libris piis legendis, ſed etiam multùm temporis impendunt, literarum variarum ſtudiis diſcendis, & docendis, Concionibus item & exhortationibus habendis, Confeſſionibus audiendis, & ſaluti proximorum incumbendo. Falſum etiam eſt, Religioſos plùs Eccleſiæ obfuiſſe, quàm profuiſſe. Qui enim retroáctis multis ſæculis, & hoc tempore, plurimos infideles ad Chriſti ovile adduxerunt: Fortiùs contra Hæreſes, Schiſmata, defenderunt Eccleſiam: plurimos quin etiam Catholicos, in antiqua Fide retinenda, confirmârunt, quàm Religioſi? Qui potentiùs & nervoſiùs oppugnant Hæreticos Apoſtatas, ſcribendo, diſputando, concionando, quàm Religioſi? Nonné ex Religioſorum Ordinibus, prodierunt tot SS. Martyres, & Confeſſores: tot item SS. Doctores, ut Baſilius, Bernardus, Anſelmus, Thomas, Bonaventura &c: Quòd autem aliqui ex Religioſis & Monachis facti ſint Hæretici & Apoſtatæ (ut Lutherus, Bucerus, Munſterus, Petrus Martyr, aliàs Petrus Vermilius, Pomeranus, Pelicanus, Ochinus, Oecolampadius & alii: à quibus Apoſtatis, Eccleſiis Novatorum jacta ſunt fundamenta) illorum hoc perfidiæ & malitiæ, non votorum profeſſioni imputandum. Quod item ex Religioſis quidam vivant inreligiosè in Catholica Eccleſia

Eccleſiæ multũ proficui sũt Religioſi.

Ad hoc Reſpondeo 1mò cum S. Thoma Opuſculo 19. Cap: 20 & S. Auguſtino, *Nec propter piſces malos, rumpimus retia Domini: non ergo propter hoc, infamandum eſt Religioſorum Collegium, ſi aliqui ex eorum numero gravia etiam peccata committunt.* Præſertim cum incomparabiliter ſint plures boni: & ut ſapienter notat ibidem S. Thomas. *Homines reprobi ſua detractione quadrupliciter procedunt de Viris Spiritualibus, mala ſi quæ ſunt, extendunt: dubia aſſerunt: falſa confingunt: bona peruertunt.* Reſpondeo 2dò illud quod Manichæis

nichæis, Monachorum mores insectantibus S. Augustinus respondit Lib: de moribus Ecclesiæ cap: 34. *Nec mirum est* (inquit) *in tanta copia populorum* (Religiosorum, Monachorum, Monialium) *quòd non vobis desint, quorum vita vituperatâ decipiatis incautos, & à Catholica salute avertatis, cùm in vestra paucitate, magnas patiamini angustias.* Certè ipsemet Lutherus de suis sequacibus In sua Postilla Dominica 1ma Adventûs fatetur suos Evangelicos esse magìs nunc avaros, magìs injustos, magìs crudeles, magìs scandalosos, quàm, fuerunt in Papatu. Calvinus item scripsit Libro de scandalis. *Cùm tot hominum millia, abnegato Papatu, cupidè ut videbatur, nomen dedissent Evangelio - quid præ se maior Pars tulit, nisi quòd excusso superstitionum jugô, solutiùs in omnem lasciviam difflueret?*

NOTA 5tò. Longa testatur inductio, testisq est S. Hieronymus In Caput 9. Osee quòd *difficilè est Hæreticum invenire, qui diligat Castitatem*: ideo Hæretici ferè omnes semper infensissimi fuerunt Religiosis. Et sic Ariani fuerunt summi persecutores Monachorum, ut testatur S. Athanasius in vita S. Antonii, & Ruffinus lib: 11. Hist. cap: 3. Manichæi item ut constat ex dictis suprà sub hac Thesi. *Petilianus* (etiam cum suis Donatistis) *perrexit ore maledico* (inquit S. Augustinus lib: 3. contra Petilianum cap: 40.) *in vituperationem Monasteriorum & Monachorum; arguens etiam me, quòd hoc genus vitæ à me fuerit institutum.* Valdenses, à Valdone quodam Cive Lugdunensi exorti, circa Annum 1160. inter alios errores, dicebant: Mēdicantium Religiones, fuisse malorum Dæmonum inventionem: Nec posse hominem salvari in ordine Mēdicantium: idem dicebat quidem Guilhelmus de S. Amore, Doctor Parisiensis qui suas hæreses, instituit, ac promulgavit tempore Alexandri Papæ IV. circa Annum 1250. contra quos S. Thomas Opusculo 19. nervosè & solidè defendit Ordines Religiosorum & S Bonaventura in Opusculis variis.

Hæretici semper infēsi Religiosis.

Joannes Vicleffus, Natione Anglus, Professione Sacerdos, & Artium Magister, hæresiarcha perniciosissimus, circa Annum 1372. dissemi-

Impiæ Vicleffi Propositiones cõtra Religiosũ statum.

seminare cæpit errores suos, 45. Propositionibus comprehensos, & à Concilio Generali Constantiensi Sessione 8ctava damnatos, inter quas damnatas Propositiones, sunt etiam hæ.

Conferens Eleemosynam Fratribus, est excomunicatus eo facto.

Si quis ingreditur Religionem, priuatam qualemcunq; tam possessionatorum, quàm mendicantium redditur ineptior, & inhabilior ad observationem mandatorum DEI.

Sancti, instituentes Religiones privatas, sic instituendo peccauerunt.

Religiosi viventes in Religionibus privatis, non sunt de Religione Christiana.

Peccant fundantes Claustra, & ingredientes sunt viri Diabolici.

Omnes de Ordine Mendicantium, sunt Hæretici: & dantes eis eleemosynam, sunt excomunicati.

Augustinus, Benedictus, & Bernardus, damnati sunt, nisi pænituerint de hoc, quòd habuerunt possessiones & instituerunt & intraverunt Religiones: & sic à Domino Papa, usq; ad ultimum Religiosum, omnes sunt Hæretici.

Omnes Religiones indifferenter introductæ sunt à Diabolo.

Has Diabolicas Propositiones approbavit deinde Joannes Huss, ut constat ex eius Propositione, quæ est numero 25ta inter Propositiones 30. damnatas ab eodem Concilio Sessione 12. approbavit deinde etiam Lutherus, asserendo omnes Articulos 30. Ioannis Huss condemnatos, esse Christianos & Evangelicos. Insuper idem Lutherus addidit In Epistola ad Volfgangum, Propositiones has: *Votum Castitatis, ut impossibile, & impium nullius momenti est: Deus quoq; reprobat illud, non secus, ac si vovißem Dei Matrem me fieri, aut novum cœlum condere velle. Sumere cibum, potum, & uxorem ducere, utrumq; Deus ex æquo fieri imperat.* Plura eiusmodi Lutheri Epicuri Christiani, Axiomata dedi in Admirandis Lutheri Tractatu 3tio. Ad hæc, pro confirmanda sua doctrina, cùm esset Sacerdos, & Monachus professus

an

annis pluribus, divinis humanisque Legibus vetitas, contraxit Nuptias cum Moniali Professa Catharina Borrha Anno 1525. ita enim scribit ad Michaëlem Stifel: *Duxi uxorem, ut meam doctrinam propriô exemplô relinquerem confirmatam.* Et Epistola ad Ambsdorfium scribit. *Vera est fama, me esse cum Catharina subitò copulatum, ut confirmem factô, quæ docui.* Verè admiranda talis est & inaudita in Ecclesia Christi Confirmatio Evangelicæ doctrinæ.

Lutherus mirabili mediô cõfirmavit doctrinam suam.

Esse impias enumeratas supra Propositiones Vicleffi & Lutheri, sufficienter constat ex dictis sub hac Thesi 10ma, & insuper ex Notato sequenti.

NOTA 6tò Cum P: Lessio & aliis. Tria esse Religionis commoda. 1mò Quòd omnia ferè impedimenta salutis removeat. Consuetudo enim pravorum hominum tollitur loci separatione & claustrô, appetitus divitiarum per Votum Paupertatis: Amor & studium carnis Voluptatum, removetur per Votum Castitatis: Cupiditas honoris, vanæ gloriæ, removetur per contemptum honorum, & humilem subjectionem, sub imperium sui superioris: Amor proprii Iudicii, & libertatis, per Votum Obedientiæ: Crapula & ventris ingluvies, removetur per sobrietatem Religiosam. 2dò. Quòd status Religiosus plurima adjumenta salutis & præsidia secum adducat: inter quæ sunt etiam hæc: Sacramentorum usus: Oratio frequens: Meditatio rerum divinarum: Exempla Virtutum: Monitiones Sapientum: Correctio erratorum: Directio Superiorum: Lectio Sacra: Mortificatio affectuum: Exercitium Virtutum: crebra sui discussio: Sobria diæta. 3tiò Quòd per ingressum Religionis, debito, quô, Dei adstricti sumus, eo modô, quo fas est homini, satis fiat, cùm illi corpus, anima, & bona externa, consecrantur.

Religionis commoda recensentur

Si quæras, quisnam Monachorum & Eremitarum Princeps fuerit? Respondent ferè omnes Patres, fuisse Joannem Baptistam. Hinc S. Hieronymus ad Eustochium de servanda Virginitate, de Eremitis loquens ait. *Hujus Vitæ Auctor Paulus, Illustrator Antonius, & ut ad superio*

rio

riora conscendam, Princeps Ioannes Baptista. Et S. Chrysostomus Homilia 1. in Marcum *Sicut* (inquit) *Sacerdotum Principes sunt Apostoli: Sic Monachorum Princeps Ioannes Baptista est.* Imò Humilia 27. ad Populum, appellat Vitam Monasticam, *Philosophiam à Christo introductam.* Et meritò: nam Christus svasit Matth: 19. & 16. Paupertatem *&* Castitatem & abnegationem, quæ tria votis firmata requiruntur, & sufficiunt ad statum Religiosum.

NOTA ultimò. Non rectè quosdam asseruisse, institutum fuisse in Veteri Testamento perfectum Statum Religiosum & Monachatum, tria substantialia vota, & alia perfectionis consequendæ adjumenta, Evangelicis Cænobitarum ornamentis propè æqualia complectentem. Non rectè inquam. Quia hanc Opinionem assertivam & quidem libris impressam, de perfecto, & stricto Monachatu ante Evangelium, ut novam & temerariam & scandalosam, tum novissimus Index expurgatorius, tum præter alias plurimas Academias & Universitates, supremæ Inquisitionis Tribunal Sapientissimorum Salmāticensium Magistrorum damnavit, & explosit, ut refert Ludovicus Turrianus, prima Parte Selectarum Disputationum Theologicarum Disp: 29. Dubio 1mo. Testaturq́ id ipsum ac comprobat hanc Censuram R. P. Fr. Franciscus de Arauxo, Sacri Ordinis Prædicatorum, Primarius Theologiæ Complutensis Lector, qui etiam Tomo 1mo in 1mam 2dæ. q. 99. Disp: 4. Sect: 3tia, probat & evincit, prædictam Opinionem evidenter esse contrariam menti Sancti THOMÆ.

TRA

TRACTATUS QUINTUS

ANTITHEOLOGICÆ LUTHERI THESES, CONCERNENTES MYSTERIUM INCARNATIONIS, & SACRAMENTA ECCLESIÆ, ENERVANTUR.

I.

NIHIL MIRUM, SI ARIUS, JUDÆUS, MAHOMET, ET TOTUS MUNDUS NEGENT CHRISTUM ESSE DEUM.

Thesis 18. In Disputatione de Mysterio SS. Trinitatis. Exstat Tomo 1. Lat: Viteb: fol: 412.

CERTUM est, quòd Arius, & Mahometes, & Judæus, cum suis Asseclis, negent Christum esse verum Deum: sed quòd totus mundus id neget, evidenter falsum est. Circumspice Europam Universam, ejusq́ Regna, & Provincias: perlustra Armeniam utramq́;, Abyssinos, Georgianos, Maronitas, & alios plurimos Asiæ & Africæ populos: imò nunc plurimas Indiarum Orientalium & Occidentalium Gentes, ubiq́ personat, Christum esse verum DEUM. Non solùm mirum, sed mirabilissimum est, quòd post tot Motiva evidentia credibilitatis, quibus ostenditur universaliter Religionem Christianam Catholicam esse veram, proinde & omnes ejus Articulos esse veros (inter quæ Motiva sunt, innumera miraculorum multitudo, Prophetia- *Motiva quibus evincitur Arianismũ,*

Mahometismum, & Iudaismũ esse erroneum.

rum adimpletio, Constantia tot millionum Martyrum, qualitas Doctrinæ Christianæ, ejusq; propagandæ admirandus modus: Consensus omnium ferè Gentium &c.) mirabilissimum inquam est, quòd post tot motiva, adhuc obstinatè, his sæculis ab incredulis Judæis, Mahometanis, negetur Christus esse Deus. Insuper *Omnia Elementa* (verbis utor S. Gregorii Magni Homilia 10. in Evangelia) *Christum Auctorem suum venisse testata sunt -- Deum hunc, Cœli esse cognoverunt, quia protinus stellam miserunt,: Mare cognovit, quia sub plantis ejus se calcabile præbuit: terra cognovit, quia eo moriente contremuit: Sol cognovit, quia lucis suæ radios abscondit: saxa & parietes cognoverunt, quia tempore mortis ejus scissa sunt: Infernus agnovit, quia hos, quos tenebat mortuos reddidit: Et tamen hunc quem omnia insensibilia Elementa senserunt, adhuc infidelium Judæorum corda, Deum esse minimè cognoscunt.*

Accedit, quòd multa habeantur documenta, quibus prædictæ sectæ, falsitatis evidenter convincuntur.

Arianismus convincitur falsitatis. Tum ex variis scripturæ sacræ testimoniis, asserentibus Christum esse Deum. Tum ex innumeris miraculis, factis in confirmationem Mysterii SS. Trinitatis. Tum ex turpissima cælitùs irrogata morte Arii. Tum ex eo, quia cæpit ab Ario, circa Annum Domini 324. eliminatusq est jam ex orbe: cùm tamen vera Christiana Ecclesia, nunquam possit deficere juxta illud: *Portæ inferi non prævalebunt adversùs eam*: fueritq vera Christi Ecclesia etiam longè ante Arium, ut patet.

Mahometismus, erroneus esse demonstratur inter alia ex eo. Quia modò primùm 600. annis post Christum, ab homine scelesto, nullâ doctrinâ, & miraculis conspicuô, initium sumpsit. Crevit tyrannide, gladio, permissione scelerum, & voluptatum carnalium. Alcoranus tot fabulis refertus! supremamq felicitatem hominis collocat in voluptatibus Corporis, quod est evidenter falsum. *Indulgere enim voluptati, initium omnium malorum est.* ut sapienter notat Seneca.

Epist:

Epist: 3. Est item contra rectam rationem: hæc enim dictat, in ea hominis parte collocandam esse summam hominis beatitudinem, quæ potior est, & perfectior, qualis est utiq anima?

Judaismus præsens, & Talmut, tot enormibus scatet erroribus & fabulis! Prophetias omnes de Messia venturo, esse in Christo impletas, evidenter constat: Majoribusq argumentis nunc probatur venisse Christum, quàm antea probabatur venturum esse: Calamitatibusq tantis, post necem Christi pressa & hucusq premitur Gens Judæorum. His perpensis, mirum est, quòd tot hominum millia, illas sequantur sectas, cæciq; maneant, & Creatorem æstiment similem creaturæ.

II.

MAGIS DISPARATA EST PRÆDICATIO, DEUS EST HOMO: QUAM SI DICAS, HOMO EST ASINUS.

Thesis 3tia in Disputatione Theologica. An hæc Propositio sit vera in Philosophia. VERBUM CARO FACTUM EST. Exstat Tomo I. Lat: Viteb: folio 413.

NUllus Prudens dubitat Propositionem hanc: Homo est Asinus: esse certò falsam. Quia inter Subjectum & prædicatum hujus Propositionis nulla est vera propria identitas, nec ullus propriè verus nexus: quod tamen ad veritatem Propositionis affirmativæ requiritur, ut evidens est: aliàs quodlibet posset verè affirmari de quolibet. si ergo, dum dicitur de Christo: *Deus est Homo:* major juxta Lutheri Thesim, est distinctio subjecti à prædicato, seu disparatio, quàm in priori Propositione: sequitur hanc esse magis falsam. Quod tamen asserere, grandis est Hæresis & blasphemia: Veram enim esse Propositionem hanc: *Deus est Homo*: docet Orthodoxa Fides in Conciliis, præsertim Ephesino contra Nestorium: docet & Sacra Theologia. Nam docet & asserit, quòd reali substantiali Hypostatico vin-

Vera est propositio hæc: DEUS est Homo.

O2 cu-

culo colligentur ſecum Perſona Verbi, quæ eſt realiter Deus, cum Natura humana: & quòd in his Propoſitionibus: *Deus eſt Homo: Homo eſt Deus*: ſignificetur in recto unitas Perſonæ in duabus Naturis, ſeu identitas ſuppoſiti formaliter utrobiq. Faciunt enim ſenſum: Perſona Filii Dei, eſt ſimul Perſona hominis, qui eſt Chriſtus: Ad veritatem autem Propoſitionis affirmativæ, requiritur, & ſufficit identitas quò ad rectum prædicati cum ſubjecto.

Inarnationis Myſterium qualiter cognoſcibile ?

Nota imò Independenter à Revelatione aliqua ſupernaturali, Poſſibilitas Incarnationis, ſeu Deum poſſe fieri hominem, à nullo intellectu creato potuit evidenter, imò nec probabiliter poſitivè cognoſci. Hinc Myſterium Incarnationis vocatur à Scriptura, ad Epheſios 3. *Sacramentum & Myſterium à ſæculis abſconditum.* A Concilio Epheſino Can: 18. *Ineffabile & indeprehenſibile.* A S. Dionyſio Areopagita Lib: 2. de divinis nominibus cap: 2. *Impotens oratione explicari, ratione percipi, vel ab ipſo præſtantiſſimorum Angelorum facilè Principe.* A S. Thoma In 3. Diſt: 3. q. 2. art: 2. *Miraculum omnium miraculorum.* Ab aliis. *Summa omnium mirabilium.* Et ratio eſt. Tum quia hoc Myſterium eſt ſupra Principia lumine naturæ nota, Perſona enim Filii unitur phyſicè naturæ humanæ, non tamen unitur eidem Perſona Patris, etſi Perſona Patris cum Perſona Filii realiter ſummè intenſivè uni tertio, ſcilicet Naturæ Divinæ identificetur. Tum quia imperceptibile naturaliter eſt, ut aliquid uniatur intrinsecè ſine mutatione ſui intrinſeca. Ut aliquod item Ens completum, conſtituat Unum per ſe cum altero, quod utrumq fit in Incarnatione. Ex hoc infertur, & quidem à fortiori: Non poſſe naturaliter ſeu abſq; revelatione, cognoſci exiſtentiam Incarnationis. Hoc tamen non obſtante.

NOTA 2dò. Theſim Lutheri graviter erroneam eſſe hanc (quæ exſtat ibidem ubi ſuperior) *In Theologia verum eſt, Verbum eſſe Carnem factum, In Philoſophia ſimpliciter impoſſibile & abſurdum.* Ratio eſt, quia Philoſophia, cùm ſit ſecundùm Etymon ſuum Amor

&

& ſtudium ſapientiæ: proinde Veritatis: ſecundùm item ſuam natu-ram, juxta Ariſtotelem 2. Metaph: T. 3. *Eſt Scientia contemplatrix Veritatis.* Qua ergo ratione hæc Veritas, VERBUM CARO FACTUM EST: à Philoſophia cenſebitur eſſe falſitas, & quid abſolutè impoſſibile, ac abſurdum? Licèt vero illa Veritas ſit ſupra Philoſophiam, lumine Fidei non illuminatam: non tamen eſt contra illam: imò Philoſophia Chriſtiana, illam Veritatem amplectitur, Principiiſq lumine naturæ notis nō cenſet adverſari. Vtiq & ipſe Melanthon Diſp: de diſcr: trium Sentent: dicit: *Sciendum eſt, Philoſophiam eſſe non quaslibet opiniones: ſed eas ſententias, quæ ſunt certæ* id eſt veræ. Et Diſput: de Utilitate Philoſophiæ Moralis: *Videndum eſt, ne quis exiſtimet Philoſophiam eſſe abſurdas opiniones improbatas bonorum & prudentum judiciis.* Quare rectè Concilium Lateranenſe ſub Leone 10. Seſſ: 8. dicit: *Cum verum vero minimè contradicat, omnem aſſertionem Veritati illuminatæ Fidei contrariam, omnino falſam definimus.* Et certè ſicut ignis eſt ignis, & coloratum eſt coloratum, ubicunq ponantur: & Univerſaliter: *Idem manens idem adæquatè ſemper manet idem*, ita & Verum eſt Verum, ubicunq conſtituatur, ſive in Theologia ſive in Philoſophia.

III.

HOMO & HUMANITAS SUNT SYNONYMA, SICUT DEUS & DIVINITAS. OMNES NEGANT CHRISTUM ESSE COMPOSITUM, ETSI CONSTITUTUM AFFIRMANT.

Theſis 8. & 45. In Diſputatione Theologica. Quòd in Chriſto duæ Naturæ ſint. Exſtat Tomo 1mo Lat: Viteb: fol: 414. & 415.

FAlſum eſt, quòd homo & humanitas ſint ſynonyma. Quia homo præter humanitatem ſeu Naturam humanam, dicit etiam ſubſiſtentiam, quæ eſt quid nemine cogitante diſtinctum à Natura-

Homo & humnitas nō ſunt ſynonyma.

ra-

ra humana cùm sit ab illa separabilis entitativè: nam juxta fidem Verbum assumpsit Naturam humanam & non assumpsit subsistentiam seu Personam humanam: ita neq; propriè loquendo assumpsit hominem. Unde Felix Papa & Martyr in Epistola ad Maximianum Episcopum & Clericos Alexandriæ scripsit: *Neq; enim hominem assūpsit Dei Filius, ut alter esset præter ipsum, sed Deus existens perfectus, factus est simul & homo perfectus, incarnatus ex Virgine.*

Dum autem Patres dicunt, quòd *Filius Dei assumpsit hominem*, vel *cum homine unitus est: locutiones eiusmodi non sunt propriæ:* (ut inquit sapienter S. Thomas 3. p.q. 4. art: 3. ad 1. *sed piè sunt exponendæ, ubicunq; à Sacris Doctoribus ponuntur: ut dicamus hominem assumptum, quia ejus Natura est assumpta, & quia assumptio terminata est ad hoc, ut Filius Dei sit Homo.* Quod ipsum non videtur diffiteri Lutherus, dum dicit ubi suprà Thesi 11. 12. & 33. *Symbolum canit: Tu ad liberandum suscepturus hominem: Idem sæpe facit Augustinus. Cùm, Regula (vt videtur) dicendum dictet: Tu ad liberandum suscepturus humanitatem, seu humanam naturam. Hoc in his rebus ineffabilibus præstandum est, ut Patrum dicta, sicuti opus est, commodè interpretemur.*

An verò subsistentia creata v. g. humana (idem dic de aliis creatis subsistentiis) sit Entitas aliqua positiva substantialis: ut communiter doceri solet in Philosophia: an verò aliquid sit negativum, scilicet Negatio unionis actualis, & aptitudinalis cum alio supposito vel substantia, seu natura, ut vult Scotus, & è Nostris non pauci Recentiores satis probabiliter, incertum est.

Nec synonyma sūt Deus & Divinitas.

Falsum item est, quòd Deus & Divinitas sint synonyma: Vera enim est de Christo Propositio hæc, *Deus est passus, mortuus*, falsa autē est: *Divinitas est passa, mortua*: ut certū ex Fide, & ex ratione. *Quis enim* (ut ait Novatianus antiquissimus Scriptor cap: 20. de Trinitate) *non sine ullo Magistro atq; interprete, ex sese facilè cognoscat, Divinam substantiam, mori non posse?* Verùm, quia, ut verissimè idem scriptor an-

annotavit. *Erroris est, semper abrupta dementia, & non est novum si usq; ad periculosa* (imò absurdissima) *descendunt, qui fidem legitimam reliquerunt.* Hinc Andreas Musculus Lutheranus Minister, teste Lindano in Dialogo 2do sui Dubitantii, & ante Musculum ipsemet Lutherus in Libello de Patribus & Conciliis, & in Libello qui inscribitur *Confessio Martini Lutheri de Sacramento Cænæ Domini*: docuit, Divinam ipsam Naturam in Christo, esse passam, Crucifixam, mortuam, simul cum Natura humana, damnavitq Zuinglium Hæreseos, unâ & Zvinglianos, quòd Divinitatem pati potuisse negarent. Ast Zuinglius Tomo 2do in Responsione ad Confessionem Lutheri respondens Luthero, benè hac in parte ait: *Quid dici potest blasphemius? num Deus* (secundùm Divinitatem) *quoq; pati potest? num eundem etiam mortuum* (secundùm Divinitatem) *esse fatebimur? hìc quò se vertere poterit Lutherus, si Pontificii* (id est Catholici) *dictum hoc arripientes, eum in Divinitatem quoq; blasphemum esse dixerint? ut qui illam quoq; mortuam esse pronuntiat.*

Iuxta Lutherum, ipsa Divinitas mortua est.

Quidam Franciscus Junius Minister Calvinianus excusare nititur Lutherum, dicendo, quòd ille in locis citatis, usurpaverit vocabulum abstractum pro concreto: scilicet Divinitatem, pro Deo. Verùm si Lutherus verè in animo sentiebat, Divinitatem non posse mori, cur contra communem loquendi modum Ecclesiæ & SS. Patrum, usus est vocabulô abstractô pro concreto? Cur aliquo scripto publico, non explicavit sensum vocabulorum suorum, Zuinglio objicienti sibi blasphemiam? Utiq ipse Lutherus in Epist: ad Ambsdorfium de Erasmo scribens, præcipit ut ambiguè, insidiosè, & periculosè in rebus sacris dicta, contra ipsos Auctores explicentur: additq ibidem: *Cùm dicit Erasmus: Petrus Christum appellat Virum, Deum tacet: damnandus est Arianæ sententiæ & Hæreseos.* Cur ergo & Catholicis non liceat pari ratione inferre. Ergo & Lutherus, Cùm dicit Divinitatem ipsam Christi posse pati, mori: damnandus est Eutychianæ sententiæ & Hæreseos. Maximè, cùm in eodem libro de Conciliis, Nestorio & Eu-

ty-

tycheti Hæresiarchis, zelum bonum, animum sincerum, & fidem bonam tribuerit, totam verò causam tumultûs, in Episcopos Catholicos qui eos in Conciliis Generalibus Ephesino & Chalcedonensi damnârunt, rejecerit.

Adverte, Propositionem hanc: *Sancte Deus, Sancte Fortis, Sancte Immortalis, qui crucifixus es pro nobis, miserere nobis.* Hanc inquam Propositionem in sensu Patropassianorum seu Sabellianorum, item in sensu Eutychianorum esse damnatam. Priores enim Hæretici dicebãt, Patrem, Filium, Spiritum Sanctum esse unam numero Personam, adeoq́ Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum esse crucifixum. Posteriores verò asserebant Carnem Christi in ipso Incarnationis Articulo cõmutatam fuisse in Divinitatem, adeoq́ Christum fuisse passum & crucifixum secundùm Divinam Naturam, quod utrumq́ est grandis Hæresis. Si tamen illa Propositio, seu illud Trisagion referatur ad solam Personam Filii, ut realiter distinctam à Persona Patris & Spiritûs S:, tunc est Propositio verissima & Catholica: nam utiq́ Filius Dei est Deus Sanctus, fortis, immortalis, & pro nobis crucifixus? quia tamen ex Communi usu Ecclesiæ & sensu Patrum, SS. Trinitas Divinarum Personarum probatur ex trina exclamatione Seraphica Sanctus, Sanctus, Sanctus: ideo videtur esse satiùs abstinendum ab illa Propositione.

Non omnes negãt Christum esse compositũ,

Falsa est item universaliter Lutheri Thesis hæc: *Omnes negant Christum esse compositum, etsi Constitutum affirmant.* Quomodo Omnes negant Christum esse Compositum? Utiq́ in Synodo Generali V. id est Constantinopolitano 2do Concilio Oecumenico, cui interfuerunt 165. Episcopi, iisdem approbantibus Canon 4tus, conscriptus est iste? *Sancta Dei Ecclesia, utriusq́ perfidiæ* (scilcet Nestorianæ & Eutychianæ) *impietatem reijciens, unionem Verbi Dei ad Carnem, secundùm Compositionem confitetur, id est secundùm subsistentiam.* Ibidemq́ Canone 7. dicitur: *Christus Compositus ex duabus Naturis.* Item in synodo 6ta Generali, seu Constantinopolitano 3tio Concilio, 289 Episcoporum

Act:

Act: 4ta legitur: *Confitemur Trinitatem Personarum - Item Confitemur & Christum ex duabus Naturis compositum.* Et in Cōcilio Lateranensi sub Martino 1mo, Can: 8. habetur: *Si quis non confitetur propriè, & verè secundùm Compositionem id est secundùm subsistentiam, Naturarum unitionem, ex quibus unus & solus exstitit Christus, sit condemnatus.*

Quomodo omnes negant Christum esse Compositum? siquidem Sancti Patres plurimi asserunt esse compositum. Audiantur aliqui, S. Dionysius Areopagita Capite 1mo de divinis Nominibus. *In una* (inquit) *Personarum suarum, infirma nostra integrè verissimeq; suscepit* (Divinitas), *se ipsam revocans, atq; restringens humilitatem nostram, ex qua ineffabiliter compositus est simplex IESUS, æternusq; temporales subiit metas.* S. Augustinus Tractatu 78. in Joannem ait: *Sicut enim unus est homo, anima rationalis & caro* (intellige unita) *sic unus est Christus, Deus homo: ac per hoc Christus, est Deus, anima rationalis, & caro.* Quô modô loquendi S: Doctor, haud dubiè, Compositionem re ipsa significat. S. Damascenus Lib: 3tio Cap: 4to: *In Domino nostro Iesu Christo, duas quidem Naturas & unam duntaxat Personam ex utraq; Natura compositā agnoscimus.* 3.p.q.2.a.4.S. Thomas docet, quòd tametsi Persona Christi ex se sit simplex, ut subsistens tamen in duabus Naturis composita esse censenda est.

Et Ratio hujus ipsius solet dari à Theologis. Quia Christus sumptus pro toto complexo, quod hoc nomine importatur, per veram physicam unionem conflatur ex pluribus Entibus realiter distinctis: scilicet ex subsistentia Verbi, & Humanitate: ut certum est ex Fide. Ergo sic sumptus, est quid compositum. Consequentia patet ex Notione compositi: quod est unum ex multis constans, sive ea omnia sint imperfecta, sive aliquod eorum, sive illorum nihil.

An Compositio illa est totius ex partibus.

Probabilius est, quòd illa Compositio mira & ineffabilis, non sit propriè totius ex partibus, seu unius perfecti ex pluribus, ita Doctor Angelicus 3ᵃ parte q. 2. art. 4, ubi ait: *Illa compositio Personæ ex Naturis nō dici-*

dicitur esse ratione partium, sed potiùs ratione numeri, sicut omne illud, in quo duo conveniunt, potest dici ex eis compositum. Cum Divo Thoma sentiunt, Suarez, Vasquez & alii cõmuniùs. Et Ratio est. Quia omnis pars, videtur habere rationem imperfecti, incompleti: Persona autem Verbi, & Divinitas, est quid perfectissimum. Non obstat tamen, quò minùs terminus ex Incarnatione resultans, dicatur totum: non ut ordinem dicit ad partem: sed ut idem est, quod perfectum & completum. Dixi suprà. Probabiliùs est: Nam Theophilus Raynaudus, Vir consummatæ Eruditionis, Theologusq́ præstantissimus, in libro suo de Christo, cum nonnullis aliis, quibus & quidam ex Patribus favent, non improbabiliter dicit: Potest VERBUM nominari compositi pars, sumpto Partis nomine, pro quocunq́ pertinente ad alicuius Compositi Constitutionem, etiamsi absq́ ullo ordine, & naturali ad eam Constitutionem habitudine. Negandum est, quòd ad omnem compositionem veram, requiratur absolutè componi ex talibus extremis, quorum unum sit Actus, alterum Potentia: Nam compositum integrale, Exempli gratia, Aqua est verè & propriè composita ex partibus homogeneis, quarum tamen nulla, respectu alterius præcisè est Actus, aut Potentia. Non nego esse probabilem Alberti Magni, Alexandri Halensis, Scoti, S. Bonaventuræ & multorum aliorum sentẽtiam, quæ negat Christum esse Personam compositam. Quanquam ut multi rectè notârunt, Controversia hæc est multùm de voce. Certum enim est in re, quòd Christus nullo modo componatur in ratione Personæ præcisè: habet enim unicissimam Personam, & quidem Divinam, adeoq́ omnis compositionis expertem. Certum item est, quòd Christus in re constituatur & coalescat immediatè ex Persona Verbi, & natura humana: mediatè autem etiam ex Natura Divina.

An vera Propositio: Christus est duæ Naturæ.

Quæres. Possunt ne admitti Propositiones hæ: *Christus est duæ Naturæ: Christus est Divinitas & humanitas simul sumpta?* Respondetur, admittendas esse ut veras, Christus enim, si sumatur non planè *materialiter*, pro supposito Verbi Divini secundùm se, sed *formaliter* ut

ut est Deus homo, constituitur Humanitate & Persona Verbi unitis secum realiter. Imò Thomas Valdensis (fuit is eximius Theologus, Sacri Ordinis Carmelitarum Prior Generalis in Anglia, Confessarius item Henrici 5ti Angliæ Regis, Vicleffistarum verò Hussitarumq; acerrimus expugnaror, floruit circa Annum 1420.) usq adeo id esse verum putat, ut affirmet esse fidem Antiquæ Ecclesiæ Patrum, nempe Christum esse illa omnia simul. Tomo enim I. Lib: 1. Doctrinalis antiquæ Fidei cap: 42. Vicleffum alloquens ait: *Tu ipse capite 2do de Incarnatione: suppono inquis 3tio, quòd Persona Verbi sit Corpus, Anima & Deitas sigillatim; igitur tripartiris Verbum aliter, quàm antiqua Ecclesia, quæ ista tria dixit esse Christum solùm conjunctim.*

Item hæc: Christus est Divinitas & Humanitas?

Probatur item Responsio nostra Auctoritate Patrum, qui ita manifestè loqvuntur & sentiunt. S. Hilarius lib: 9. de Trinitate non procul ab initio: *Naturam Dei in virtute Resurrectionis intellige: Dispensationem hominis, in morte cognosce; & cùm sint utraq; suis gesta Naturis, unum tamen Christum Iesum memento esse, qui utrumq; est.* S. Augustinus lib: de Bono Persev: Cap: 24. scripsit: *Humanitas Christi quâ minor est Patre, nō minuit Divinitatem, quâ æqualis est Patri: Hoc autem utrumq;, unus est Christus.* Et Tractatu 28 in Joannem. *Agnoscamus geminam Substantiam Christi, Divinam scilicet, quâ æqualis est Patri: Humanam, quâ maior est Pater, utrumq; autem simul, non duo, sed unus est Christus.* S. Leo Epist: II. ad Julianum Episcopum Coënsem; *Cur inconveniens aut impossibile videatur, ut Verbum & Caro & Anima, Unus Iesus Christus & unus Dei hominisq; sit Filius?* S. Damascenus lib: 3. de Fide cap: 19. *Nam* (inquit) *& duæ Naturæ, unus Christus est, & unus Christus duæ Naturæ.* Similia habent S. Athanasius in suo Symbolo. S. Cyrillus Alexandrinus in Scholiis de Incarnatione Unigeniti cap: 25. S. Bernardus sermone 8. in Vigilia Nativitatis. Leo II. Epistola ad Imperatorem, quæ est in VI Synodo Act: 18. & alii Patres.

*N*eque dicas: In Concilio Constantiensi Sessione 12. Damnatæ sunt 30. Propositiones Hussi: inter quas, 4ta est hæc: *Duæ Naturæ Divini-*

In quo sensu damnata Propositio hæc: Duæ Naturæ, Divinitas, & Humanitas, sunt unus Christus.

vinitas & Humanitas, sunt unus Christus. Respondeo enim cũ Vasquez, Valentia, Tannero & aliis plurimis insignibus Theologis, Propositionẽ illam damnatam esse propter sensum pravum, quô illam intelligebat, Vicleffus, & cum ipsô postea Joannes Hussinam Vicleffus intelligebat Christum esse Naturam Divinam & Humanam non solùm coniũctim, sed etiam divisi n & sigillatim, id est, non solùm utramq́ sed etiam quamlibet earum, quod est falsissimum. Porrò, Vicleffum illius fuisse sensus, constat ex Thoma Valdensi superiùs citato, qui etiam in eodem libro capite 39. refert, Vicleffum, hanc Propositionem asseruisse: *Christus est tres Naturæ incommunicantes, scilicet Deitas, Corpus & Anima, & earum quælibet.*

Sed Opponet quispiam. Utique & Divus Augustinus sermone 58. de Verbis Domini circa medium, similem propositionem ex suo proprio sensu asseruit, dicendo: *Sicut enim unus est homo, anima rationalis & caro, sic unus est unus est Christus, Deus & homo, ac per hoc Christus est Deus & Anima rationalis & Caro: Christum enim in his omnibus: Christum in singulis confitemur. Quis non est derelictus in inferno? Christus Iesus: sed in anima sola. Quis resurrecturus, triduo jacuit in sepulchro? Christus Iesus: sed in Carne sola: dicitur ergo & in his singulis Christus, verùm hæc omnia non duo, vel tres, sed unus est Christus.* Respondetur, S. Augustinus adductus non dicit Christum *esse singula*, scilicet Deum, Animam rationalem, & Carnem, sed tantùm dicit *esse in singulis:* quia revera Persona Verbi terminat & sustentat singula, Divinitatem, Animam rationalem & Carnem.

Ex dictis constat, quid sit dicendum ad illam Lutheri Thesim, quæ habetur in eius Disputatione superius citata. *Damnatur ista Propositio: Christus est Humanitas: etiãsi dicatur, Christus, est Divinitas:* constat inquã nonnisi per Synecdochem, dici posse: *Christus est Divinitas*, vel *Christus est Humanitas.* ut multis solidè probat Vasquez in tertiam Partem Divi Thomæ Disput: 16. Cap: 5.

IV

JOANNES CAP: 1. DICIT: VERBUM CARO FACTUM EST. CUM DICERETUR APTIUS (NOSTRO JUDICIO) VERBUM EST INCARNATUM, SEU CARNEUM FACTUM.

Thesis 14. in Disputatione eadem, in qua fuit superior Thesis, nempe 3tia.

SCripserat olim Lutherus in Præfat: Novi Testamenti. *Joannis Evangelium est unicum pulchrum, verum, & principale Evangelium, aliis tribus longissimè præferendum, est verus nucleus & medulla inter omnes libros novi Testamenti* (ac si alia tria Evangelia essent puteamina; vel nucleus, & medulla non vera) Nunc verò jam & ipsum S. Joannis Evangelium carpit, & quidem in illis ipsis verbis, quibus auditis vel lectis, Orbis Orthodoxus, caput imò & genua inclinare solet Quàm impia temeritas ! summum Sacrum Theologum, & Theologiæ plus quàm Angelum, Virginem S. Joannem, unus excucullatus sacrilegus Apostata, aptiùs & rectiùs loqui præsumit docere!

Iudiciū Lutheri de Evangelio S. Joannis.

Verùm forsan aliquis ex Lutheri Asseclis opponet: Non adeo rectè scriptum esse à S. Joanne: *Verbum Caro factum est*: inde enim Hæresiarchæ quidam ex antiquioribus, ut Arius, & Apollinaris, sumpserunt ansam dicendi: Verbum assumpsisse Carnem Humanam, non verò Animam Humanam: siquidem solius Carnis fit mentio: vel dicendi cum Eutychete, quòd Verbum ita factum sit Caro, ut in Carnem conversum fuerit: siquidem etiam idem S. Joannes in suo Evangelio Cap: 2 dicit. *Aqua* (in Nuptiis Canæ Galilææ) *vinum facta est:* Aqua autem facta est vinum per conversionem sui in vinum.

Respondetur mutipliciter. 1mò. Licèt S. Evangelista posuisset, ut vult Lutherus: *Verbum est incarnatum, seu Carneum factum*, eandem ansam errandi ex sua perversa intelligentia, habuissent illi Hæresiarchæ: ut patet Considerāti. 2dò. Ergo pari ratione, corrigenda & illa verba Christi Domini? *Pater major me est*, inde enim etiam,

ani-

Ex mala intelligentia scripturæ, hæreses natæ.

ansam sumpserunt Ariani, dicendi: Christum non esse verum Deum, Patri Consubstantialem: Imò; si non universa Scriptura Sacra, plurimi saltem illius textus eliminandi forent, utpote quibus abutuntur Hæretici ad suos errores stabiliendos. Constat enim, ut præter alios refert Hosius Cardinalis Eminentissimus ac Eruditissimus in suo aureo Libello de Expresso Dei Verbo. Constat inquam, Arium, quadraginta Scripturæ Sacræ loca produxisse, quibus adstruebat, Filium non ejusdē cum Patre Substantiæ: nec aliud vel ipse crepabat, vel sectatores ejus, quàm Scripturas, quàm Evangelium, quàm expressum Dei Verbum: ad Scripturas ille provocabat, nec aliunde secum, quàm de Scripturis agi permittebat. Et cum S. Augustino congressurus Maximinus Arianorum Episcopus hanc primò ei disputandi legem præscripsit (teste eodem S. Augustino lib: 1mo contra eundem Maximinum) ut si quid de Divinis Scripturis protulisset, id audire necesse haberet: eæ verò voces (inquit) quæ extra Scripturam sunt, nullo casu à nobis suscipientur. Sapienter scripsit idem Sanctus: *Non posset error oboriri paleatus Nomine Christiano, nisi de scripturis non intellectis.* Et in Tractatu 18 in Joannem. *Neq; aliunde natæ sunt Hæreses, & quædam dogmata perversitatis, nisi dum Scripturæ bonæ, intelliguntur non benè.*

Respondeo 3tiò. Sumpserint sanè Hæresiarchæ illi ansam errandi ex prædicto Textu erroneè intellecto S. Joannis, sed sumpsêre immeritò.

Porrò ad meliorem hujus ipsius Responsionis 3tiæ confirmationem: item ad uberiorem intelligentiam tum prædicti textus S. Joannis, tum Mysterii Incarnationis, de quo in illo textu agitur.

Circa Incarnationē Error Arii, refertur & refellitur.

NOTA 1mò. In significatione vocis *Caro* positæ in prædicto textu, diversimodè & gravissimè olim errârunt Hæresiarchæ antiquiores quidam: Arius enim & aliqui Ariani (licet non omnes, ut constat ex Philastrio, multæ enim fuerunt olim Arianorum sectæ, quin & Apollinaristarum, Eutychianorum, sicut nunc sunt Sacramentariorum & Lutheranorum), asserebant: Verbum, Carnem solùm assumpsisse, nō

Ani-

Animam, sed Verbum esse loco Animæ. Ita de Ario & Arianis refert S. Athanasius in Dialogo de Trinitate contra Arianos. S. Nazianzenus in Epistola ad Cledonium. S: Augustinus in libro de Hæresibus ad QuodvultDeum cap: 40. & in Dialogo contra Felicianum Arianũ cap: 3. S. Ambrosius lib: de Incar: Domin: Sacr: cap: 7mo. S. Cyrillus lib. 1mo Thesauri cap: 5. & alii. Refellitur hic error manifestè ab ipsomet Christo, dicente de se Joan: 12. *Anima mea turbata est.* Matthæi 27: *Tristis est anima mea.* non potest autem hæc turbatio & tristitia convenire Verbo, quod suâ naturâ est impassibile.

Illam item hæresim præter multa Concilia Oecumenica, Damnãt Sancti Patres. Divus Athanasius Oratione de Deipara, ait: *Unà cũ Incarnatione, annuntiamus & assumptam Humanitatem, ne videamur cum impiis Hæreticis inanimatam mentemq; vacuam & irrationalem Incarnationem statuere : sed ex eo, quòd dicimus Incarnationem, & Humanitatem simul assumptam, & carnem credimus, & animam rationalem & mente præditam, significamus-* S: Augustinus in libro de Agone Christiano cap: 31. dicit: *Non eos audiamus, qui solùm humanum Corpus dicunt esse susceptum à Verbo Dei, & sic audiunt, quod dictum est: Verbum Caro factum est: ut negent illum Hominem, vel Animam, vel aliquid habuisse, nisi Carnem solam.* S. Cyrillus Alexandrinus in scholiis de Incarnatione Unigeniti: Cap: 24. *Scriptura, Carnem plerumq; nominat, & ex parte animalis totius significationem facit. scriptum est enim: quòd videbit omnis caro salutare Dei: sed non idcirco dixeris: quòd inanimis corporibus & solis Carnibus salutare suum Deus indulserit. Quoties igitur audimus, Carnem factum esse Verbum, Hominem intelligamus, ex anima & Corpore factum.*

Error ille Arii, refellitur etiam Argumentô quô utuntur Doctores sacri, nempe: *Verbum assumpsit naturam nostram, ut sanaret, Ergo potiùs ea pars debuit assumi quæ plùs indigebat sanitate: sed hæc erat Anima, quæ est causa 1ma peccati, sicut ergo & Corpora & animas salvare venit, ita utramq; partem Naturæ Humanæ assumpsit.*

Neq;

Neq obſtat, quòd S. Evangeliſta meminerit ſolius Carnis: id enim factū ob alias cauſas in Notato 6to recenſitas. Accedit, quòd (ut rectè advertit & S. Cyrillus citatus) frequens ſit in Scripturis Sanctis Hebræorum phraſis, qui per Synecdochen, Carnem, totum hominem appellant: cùm humiliter ac modicè de illo loqui volunt, ſic Geneſis 8: *Omnis Caro corruperat viam ſuam.* *Job* 12. *Spiritus univerſæ Carnis Hominis.* Iſaiæ 40. & Lucæ 5. *Videbit omnis caro ſalutare Dei.* Pſal: 64. *Ad te omnis Caro veniet.* Pſalmo 117. *Dominus mihi adjutor, non timebo quid faciat mihi caro.* Pſalmo 135. *Qui dat eſcam omni carni.* & Pſal: 144. *Benedicat omnis caro Nomini Sancto eius.* Ad Roman 2. *Ex operibus legis non juſtificabitur omnis caro.* Sicut aliquando è contra totum Hominem vocat Scriptura Sacra Animam, ut Geneſis 46. *Omnes animæ Domus Jacob, quæ ingreſſæ ſunt in Ægyptum, fuerunt ſeptuaginta.* Ad Roman 13. *Omnis anima Poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit.* 1. Petri 3. *In qua*(Arca Nòè) *pauci, id eſt octo Animæ ſalvæ factæ ſunt.* & ut his in locis prioribus, abſq ullo dubio totum Hominem Caro ſignificat, ita etiam & in præſenti, ut ſenſus ſit: Verbum factum eſt Homo.

Error Apollinaris refertur & refellitur.

NOTA 2dò Præter Arium & Arianos in ſignificatione Vocis *Caro* erravit graviter etiam Hæreſiarcha Appollinaris uterq (nempe Pater & Filius, uterq dicebatur Appollinaris: Pater Presbyteri dignitate fungebatur, Filius autem habebat Lectoris officium: Græcarum ambo Doctores Literarum, Pater Grammaticus, Filius erat Rhetor: ut refert Prateolus Doctor Pariſienſis Theologus in Elencho Hæreſum) ille ergo circa Annum 377. docuit(ut ſcribit S. Nazianzenus Epiſt: 1ma. ad Cledonium, quam refert etiam Ruffinus lib: 2. Hiſtor: cap: 20.) Verbum aſſumpſiſſe quidem Carnem animatam, ſciebat enim Hæreſiarcha, Carnem propriè, ſi non animata ſit, dici non poſſe: affirmabat tamen, Animam non rationalem, ſed tantùm ſenſitivam ab eo aſſumptam fuiſſe. Hæreſim hanc damnat ipſemet Chriſtus dicens Lucæ 23. *In manus Tuas Commendo ſpiritum meum.* Ergo habebat & ſenſum & Spiritum.

imò

imò in quovis homine unica eſt tantùm Anima, quæ in ſubſtantia eſt ſenſitiva, rationalis & intellectiva. Damnant item Concilia, & Patres, convellit & Ratio ſuperiùs data.

NOTA 2dò. Ex hoc Verbo *Factum eſt:* erroneè intellecto, Eutyches quidam (fuit is Presbyter Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ, & ibidem cujuſdam Monaſterii Abbas circa Annum Chriſti 441.) cum aliis quibuſdam, per ſummam amentiam dicebat, ante Unionem quidem duas conveniſſe Naturas, Divinam & Humanam, poſt Unionem verò earum Naturarum, unam tantùm in Chriſto fuiſſe Naturam. In hac monſtroſa hæreſi tradenda, & explicanda plurimùm inconſtans fuit ipſemet Eutyches cum ſuis aſſeclis. Nec mirum, inconſtans enim eſt Hæreticorum ingenium, & ſemel à veritate devii, perpetuò quodam vertiginis ſpiritu agitantur, ut rectiſſimè præter alios annotavit hic, ſapientiſſimus Tannerus. Docebat ergo, unam Naturam ex utraq́ exſtitiſſe, vel per Converſionem Humanæ Naturæ in Divinitatem: (ut refert Theodoretus lib: 4. Fabularum Hæret: & in Dialogo Inconfuſus. Nicephorus Lib: 18. cap 46.) vel è contra per Converſionem Deitatis in Carnem, ſeu Divinitatis in Humanitatem (ut ſcribit idem Theodoretus ibidem, & Gelaſius lib: de duabus Naturis) vel per confuſionem & quaſi mixtionem utriuſq́ Naturæ, adeoq́ per tranſmutationē duarum Naturarum in unam tertiam (ut refert S. Damaſcenus libro de Narura compoſita) & hunc errorem ſecuti ſunt poſtea Iacobitæ & Acephali, duce Severo, & ante Eutychetem idem ferè ſenſerunt Apollinariſtæ, & præſertim ex illis quidam Polemius, ut poteſt intelligi ex Epiphanio Hæreſi 77. & S. Auguſtino Hæreſi 55.

Error Eutychetis exponitur & confutatur.

Hic error abſurdiſſimus, 1. Repugnat Sacræ Scripturæ, quæ, innumeris ferè in locis docet, Chriſtum eſſe verum Deum & Hominem, eidemq́ utriuſq́ Naturæ proprias operationes tribuit, adeoq́ ſupponit in Chriſto ſalvam & integram permanere Naturam utrāq́. Et S. Joannes poſtquam dixiſſet: *Et Verbum Caro factum eſt:* ſtatim addit: *& habi-*

tavit in nobis, & vidimus gloriam ejus: Vnde patet Verbum, non propterea esse desiisse. Quare illa Propositio: *Verbum Caro factum est*, debet ita intelligi, sicut intelliguntur hæ: ad Galatas 4. *Christus pro nobis factus est maledictum.* Lucæ 2: *Factus annorum duodecim*, Dauid factus est Rex. Item cùm quis dicitur factus Miles, Doctor, Senator &c: in quibus per vocem *factus*, non significatur conversio, sed tantùm accessio aliqua, sine interitu prioris. 2dò Repugnat Conciliis Generalibus, ut Chalcedonensi, cui interfuerunt 630. Episcopi: Constantinopolitano II. & III: Lateranensi sub Martino I: Hispalensi 2. & aliis pluribus, in quibus error Eutychetis damnatus est.
3tiò Repugnat tum omnibus Sanctis Patribus, quorum testimonia vide apud Bellarminum, Valentiam & alios: tum Rationi: Natura enim Divina est immutabilis, impassibilis, ut per se clarum est.

Error Nestorii convellitur.

NOTA 4tò. Nestorius Patriarcha Constantinopolitanus circa Annum 429. & cum eo Theodorus Mosquestanus Episcopus & nonnulli alii, admittebant quidem rectè, in Christo duas esse Naturas distinctas, Divinam & Humanam: sed erroneè docuerunt, esse etiam duas Personas, unam Divinam & increatam, quæ esset Filius Dei: alteram Humanam & creatam, quæ esset Filius Mariæ, natus, passus, mortuus &c. Hunc gravem errorem condemnavit omnibus & singulis Canonibus suis tredecim, Concilium Generale Ephesinum, & postea Chalcedonense Act: 5tâ, ac Synodus Generalis 5ta Canone 5to, omnesq; Sancti Patres. Et meritò: tum quia talis divisio repugnat S. Joanni in Epist: 1. Cap: 4. dicenti: *Omnis Spiritus, qui solvit Iesum, ex Deo non est; & hic est Antichristus.* Hoc autem maximè est Christum solvere, auferre duarum Naturarum in ipso vinculum, quod est Unitas Personæ: tum quia propter unitatem Personæ, fit illa Communicatio Idiomatum in Christo: ut Deus natus ex Muliere, passus, crucifixus, mortuus dicatur 1. Corinth: 2. v. 2. Apoc: 1. v. 18. & cap: 2. v. 8. Act: 20. v. 28. & Homo verè diceret: *Antequam Abraham fieret, ego sum*, Joan: 8. v. 58.

NO-

NOTA 5tò. Eutycheti & Nestorio, non leviter suffragatus est Lutherus. Nestorio quidem; quia in Concione in Natali Domini dixit & scripsit Lutherus: *Imperiti quidam Christum Hominem Omnipotentem faciunt.* Cùm tamen verissimum ex Fide sit, Christum Hominem, ratione Divini sui Suppositi, esse Omnipotentem: Eutycheti verò, quia docuit, Divinam ipsam in Christo Naturam esse passam, crucifixam, mortuam. Vide dicta suprà sub Thesi 3. pagina 111.

Eutycheti & Nestorio suffragatur Lutherus.

Accedit, Quia in libro de Conciliis dicit, Nestorium & Eutychetem ex inscitia quadam & in modo solùm loquendi lapsos, aliàs utriq; zelum bonum & fidem rectam tribuit, totam verò causam tumultûs in Episcopos Catholicos, qui eos in Concilio Ephesino & Chalcedonēsi damnârunt, rejicit. Idem dogma impium Eutychetis, ab orco in lucem revocârunt, Menno, Adam Pastoris, Gaspar Svenkfeldius, Lutheri progenies: ut scribit Lindanus in Dialogo sui Dubitantii & Staphilus in lib: de Concordia discipulorum Lutheri.

NOTA 6tò. Si quæratur, cur S. Joannes potiùs scripsit: *Verbum Caro factum est*, quàm *Verbum Homo factum est.* Respondetur. Variæ causæ à variis Doctoribus afferri solent: S. Chrysostomus homilia in hunc ipsum locum S. Ioannis, dicit: S. Evangelistā, ad Hæreses animô prospexisse, ne quis putaret non veram, sed simulatam carnem, Christum habuisse, quod non multò post Marcionistæ, Valentiniani, & Manichæi docuerunt. S. Cyrillus lib: 1 in Ioan: cap: 15. asserit id factum ad significandum, quòd Humana Caro quæ per peccatum mortalis facta fuerat, per conjunctionem Verbi id est Divinæ & immortalis vitæ, immortalitatem sit consecuta. Doctor Angelicus dicit. 3. p. q. 5. art: 3. ad 1. *Quia per Carnem Filius Dei visibilis apparuit. Unde subditur; Et uidimus Gloriam ejus. Vel ideo: quia ut August: dicit in libro 83. quæst: in tota illa unitate susceptionis, principale Verbum est, extrema autem atq; ultima, Caro. Volens itaq; Evangelista commendare pro nobis dilectionem humilitatis Dei:* (& clariùs indicare magnitudinem Charitatis, ac misericordiæ Dei, erga nos, volen-

Cur S. Joannes scripsit: Verbū Caro factū est?

tis nostrâ causa se adeo exinanire atq demittere) *Verbum, & Carnem nominavit, omittens animam, quæ est Verbô inferior, Carne præstantior. Rationabile etiam fuit ut nominaret Carnem: quæ propter hoc, quòd magis distat à Verbo, minùs assumptibilis videbatur.*

Lutherus insipienter censurat Theologos.

NOTA 7mò Lutherus in eadem Disputatione, ex qua desumpta est Thesis 4ta, habet Thesi 46. & 47. & 48. hæc: *Nulli insulsiùs loqvuntur, quàm Moderni, quos vocant, qui omnium volunt subtilissimè & propriissimè loqui videri. Hi dicunt humanam Naturam sustentari seu suppositari à Divina Natura seu Supposito Divino. Hoc & portentose dicitur; & cogit pænè Deum velut portare, vel gestare Humanitatem.* Quid mirum, quòd Lutherus Theologos modernos sapientissimos portentosè loqui censeat: cùm Divum Joannem, Theologorũ Principem, non omni ex parte benè locutum, & Sacrosanctum scripsisse Evangelium censuerit? Quid portenti in illa locutione? Portentosené locutus & S. Paulus, dicendo de Christo ad Hebr: 1. v. 3. *Portans omnia verbo virtutis suæ?*

V

CHRISTUS UT HOMO, VERE ALIQUA IGNORAVIT MORE COMMUNI HOMINUM: VERE DIDICIT EA, QUÆ PRIUS PLANE NESCIVERAT, AD INSTAR ALIORUM, QUI PRIUS SIBI IGNOTA DISCUNT.

Lutherus enim in Concione de Natali Domini tractans locum illum Evangelii, Marci 13. *De die illo* (id est judicii) *vel hora nemo scit, neq; Angeli in Cœlo, neq; Filius, nisi Pater.* dicit: *Intempestivam narrationem quidam hìc asserunt, dicentes: Filius nescit: id est noluit scire. Quid opus est istis commentis? Christus verus Homo fuit: quare ut alius purus, sed Sanctus Homo, non quolibet tempore cogitavit, dixit, voluit, intellexit omnia. Sicut enim non quolibet tem-*

tempore omnia vidit, audivit, atq; sensit: ita etiam corde non omnia semper agnovit, sed quantum, illum duxit, ac docuit Dominus. Similia habet in Homilia Dominicæ 1mæ post Epiphaniam, explicans illud: *Proficiebat sapientiâ & gratiâ.* Hoc idem senserunt de Christo olim Hæretici Agnoitæ, quorum celebrior auctor fuit quidam Themistius Diaconus Eutychianus (non ut alii opinantur Themistius Philosophus, sub Valente Imperatore: is enim Ethnicus fuit, non hæreticus vel Hæresiarcha) illi ergo Agnoitæ dicebant, Deum quidem Verbum, omnia nôsse: humanam autem Naturam ei unitam multa ignorare. Verùm contra hos Hæreticos, omnium Catholicorum indubitata est Sententia, quòd Christus Dominus, etiam quà homo, nunquam habuerit ejusmodi ignorantiam, quam Thesis Lutheri vel Agnoitæ asserunt (quæ scilicet cum absoluta & perfecta scientia consistere non potest) sed semper, id est ab instanti suæ Conceptionis, per aliquam scientiam creatam, scivit omnia ea, quorum ignoratio, aliquam imperfectionem hominis denotat.

Christ9 Dominus etiã quà Homo, non habuit labem aliquã ignorantiæ.

Probatur hæc Orthodoxorum sententia, imò Auctoritate Scripturæ Joan: 1mo: *Vidimus gloriam ejus, gloriam quasi Unigeniti à Patre, plenum gratiæ & veritatis - De plenitudine ejus, nos omnes accepimus.* Joan: 21. *Domine tu omnia nôsti.* Ad Coloss: 2. *In quo sunt omnes Thesauri Sapientiæ & scientiæ absconditi.* Actor: 10: *Unxit eũ DEUS Spiritu Sancto:* Qui Spiritus, fuit etiam Spiritus sapientiæ & intellectûs: Juxta illud Isaiæ 11. *Requiescet super eum Spiritus sapientiæ & intellectûs.* Scilicet uberiùs & nobiliùs, quàm super ullum Sãctorum, juxta illud Psalmi 44: *Unxit te Deus, Deus tuus oleô lætitiæ præ Consortibus tuis.*

Neq; dicas: Omnes allegatos textus posse explicari de ipsa Persona Verbi æterni. Contra enim est: Quia nihil obest, quò minùs etiam extendantur ad Humanam Christi Naturam, & de illa intelligantur: uti defactò gravissimi Interpretes & Theologi intelligunt. Est verò Regula universalis Sanctorum Patrum & Theologorum: Ver-

ba-

ba Scripturæ Sacræ esse accipienda in sensu proprio, & in ea amplitudine, in qua accipi possunt sine ullo inconvenienti.

Probatur 2dò Auctoritate Patrum: S. Augustinus lib: 2do de peccatorum meritis & remissione cap: 29. ait: *In corpore infirmissimo nulli usui congruis, vel idoneis infantilibus membris, anima rationalis miserabili ignorantia prægravatur: Quam planè ignorantiam, nullo modo crediderim fuisse in infante illo, in quo Verbum Caro factum est, ut inhabitaret in nobis: nec ullam ipsius animi infirmitatem in Christo Parvulo fuerim suspicatus, quam videmus in parvulis.*

S. Damascenus in libro de duabus Naturis ait: *Proficere autem Sapientiâ & ætate & gratiâ idcirco dicitur* (Christus) *quòd ætate quidem cresceret: per ætatis autem incrementum, Sapientiam eam, quâ præditus erat in lucem proferret: ac præterea, quòd hominum in sapientia & gratia progressum paternæq; voluntatis expletionem, hoc est hominum pietatem ac Dei cognitionem & salutem, profectum suum duceret, atq; ubiq; quod nostrum erat, sibi ascisceret: qui autem eum progressus in sapientia & gratia perinde fecisse ajunt, ac si earum incrementum acciperet: non à primo illo carnis ortu, factam esse unionem asserunt, nec Personalem unionem tuentur.* Non absimilia habent alii SS. Patres: ut Ambrosius, Hieronymus, Athanasius, Beda, Bernardus & alii, quos vide apud Bellarminum: quibus accedit Auctoritas Synodi sextæ Generalis Actione 13. in qua Themistius, Agnoitarum præcipuus auctor, damnatus est.

3tiò Probatur Ratione. Tum quia indecens erat animam Christi unitam hypostaticè Personæ Verbi, quæ est infinita Sapientia, habere labem aliquam ignorantiæ. Tum quia Adam creatus est sapientissimus, ut colligitur tam ex Cap: 17. Ecclesiastici: quàm ex eo, quia mox post sui creationem, imposuit congrua Nomina omnibus animantibus. Genesis 2do. Quidni multò magis, secundus Adam debuit in ipsa sua Conceptione, esse sapientissimus? Imò Sententia communis Theologorum cum S. Thoma 3. p. q. 34. artic: 4. & multis

Pa-

Patribus, docet: quòd Christus, secundùm Humanitatem habuerit semper statim ab instanti Conceptionis suæ, Visionem beatificam. Ratio est. Tum quia dicit Christus Ioan: 3. ad Nicodemum: *Quod scimus loquimur, & quod vidimus, testamur.* Quasi diceret (ut explicant Interpretes) Ego Mysteria Divina de Deo, de Spiritu Sancto, deq ejus regeneratione spirituali in Baptismo, quæ tibi ò Nicodeme prædico, certissimè scio: quia ego, quà etiam Homo, eadem vidi per Visionem beatificam. Et Joan: 8: *Ego, quæ vidi apud Patrem, loquor.* Joan: 12. *Ubi ego sum,* (scilicet in statu beatitudinis per Visionem beatam) *illic & Minister meus erit* Item ex Patribus dicit Richardus de S. Victore: *Quod nos expectamus in consummatione, Christo datum est in sua Conceptione.* Tum quia Christus ab instanti Conceptionis, fuit Filius Dei naturalis, adeoq hæres & Possessor bonorum Patris sui per Visionem beatam: Neq enim exspectare poterat mortem Patris, aut plenitudinem ætatis ad Possessionem hanc adeundam. Debebatur item Christo cognitio clara sui ipsius, id est Filii Dei, nec non sui Patris & Amoris eiusdem mutui, seu Spiritus Sancti: hæc cognitio intuitiva, est ipsa Visio beata. Et certè SS. Angeli proximè post suam creationem, ad visionem Dei sunt admissi: Adamus, statim ab initio, fuit perfectus in naturalibus. Et Christus à principio suæ Conceptionis negabitur fuisse in sapientia gratia & gloria, & ad visionem beatam admissus? Textus verò illi Scripturæ Lucæ 24. *Oportuit pati Christum & ita intrare in gloriam suam.* Et Joanni 17. *Nunc clarifica me tu Pater.* Intelligendi sunt nō de animæ gloria, quæ præcipuè in Visione beatifica consistit, sed de gloria Corporis, & de gloriosa sessione ad Dexteram DEI Patris.

Anima Christi sẽper habuit Visionem beatificam; itẽ scientiã infusam tũ supernaturalem tum naturalem & usũ scientiæ non interruptum.

NOTA 2dò. Præter Visionem beatificam, fuit etiam pariter ab instanti Conceptionis, Animæ Christi per se infusa alia scientia supernaturalis, quâ cognoscebat Deum quidem abstractivè, & per species: objecta verò creata supernaturalia & naturalia, cognoscebat immediatè in se ipsis, & per species proprias ipsorum. ita communiter docent

The

Theologi, & Rationem dant: Quia Christus ab instanti suæ Conceptionis, semper merebatur supernaturaliter: Unde debebat, quà Viator habere aliquam cognitionem directivam sui ad eliciendos actus meritorios. Sed hæc cognitio non fuit beata Visio: hæc enim est Christi quà Comprehensoris: ex illaq necessariò sequitur amor Dei, adeoq non meritorius. Non fides Divina supernaturalis: quia hæc non dabatur in Christo, sicut non datur in Beatis: Non etiam ulla alia cognitio naturalis: Hæc enim non est proportionata merito supernaturali. Ergo illa cognitio directiva, dicenda est fuisse scientia per se infusa supernaturalis. Insuper præter scientiam beatam, seu Visionem beatificã, & præter scientiam per se infusam supernaturalem, fuit in Christo & tertia scientia, scilicet Naturalis, infusa per accidens, etiam ab instanti Conceptionis, Animæ Christi indita. Talis enim scientia spectabat ad perfectionem naturalem intellectûs creati: cùmq eiusmodi scientia naturalis, fuerit infusa Adamo & Angelis ab instanti existentiæ illorum: ut docent Theologi. Quidni multò magis Animæ Christi? Et per hanc scientiam Christus scivit obiecta tantùm Naturalia, & quidem dependenter à phantasmatibus, Hæ tres scientiæ à primo instanti Cõceptionis suæ, ita perfectæ fuerunt in Christo, ut eas augere non posset (idem dicendum de gratia habituali & gloria) ut docent SS. Patres & Theologi cum S. Thoma, quos vide apud Suarez 3. p. q. 7. art: 12. Quarta demum scientia in Christo fuit acquisita Experimentalis & per hanc, ea tantùm cognovit Christus, quæ sunt percepta ministeriô sensuum, deq hac scientia intelligitur dictum illud Apostoli ad Hebr: 5. *Dedicit ex iis quæ passus est, obedientiam.* Ad illud quod Marci 13. *De die autem illa, nemo scit, neq; Filius.* Respondet S. Thomas 3. p. q. 10. artic: 2. ad 1. *Dicitur nescire diem & horã judicii, quia nõ facit scire - Origenes hoc exponit de Christo secundùm Corpus ejus, quod est Ecclesia, quæ hoc tempus ignorat. Quidam autem dicunt, hoc esse intelligendum de filio Dei adoptivo, non de Filio Dei Naturali.*

VI

PRINCIPIO NEGANDA MIHI SUNT SEPTEM SACRAMENTA, & TANTUM TRIA, PRO TEMPORE PONENDA, BAPTISMUS, PÆNITENTIA, PANIS. Lib: de Captiv: Babyl: Cap: de Euchariſtia.

BENE addit *Pro tempore:* nam multùm vertiginoſus hac in parte (imò & in multis aliis Fidei dogmatibus, ut demonſtravi in Admirandis Lutheri in Tractatu 3tio, Cap: 1mo) Spiritus fuit illius: ſtatim enim addit: *Quanquam, ſi uſu Scripturæ loqui velim; non niſi unum Sacramentum habeam, & tria ſigna Sacramentalia.* In Tractatu autem de Poteſtate Papæ dicit: *Septem ſunt Sacramenta - Ordo in Eccleſia Dei Sacramentum eſt, & Extrema Unctio & Matrimonium,* Item de Captiv: Babylonica: *Unctionis extremæ Sacramentum non damno - Non dico quòd damnem Sacramenta ſeptem.* è contra habet hæc Ibidem: *Sacramentum Ordinis Eccleſia ignorat; inventumq́; eſt ab Eccleſia Papæ - Cùm non Sacramentum ſed figmentum ſit - Matrimonium eiſdem traditionibus, quibus Sacramentum eſſe jactatur, merum ludibrium factum eſt.* Ad Valdenſes ſcripſit: *Duo tantùm ſunt Sacramenta.*

Sed Eccleſiæ Catholicæ Conſtans ſententia eſt, Sacramenta Novæ Legis, eſſe ſeptem: ita aſſeritur in Cap: *Ad abolendam* Extra de Hæreticis: & in Concilio Conſtantienſi Seſſ: 15. Item in Concilio Florentino, in Decreto Unionis: definitaq́ expreſſe eſt hæc veritas in Cõcilio Tridentino Seſſ: 7. Canone 1. Verbis his: *Si quis dixerit, Sacramenta Novæ legis non fuiſſe omnia à Ieſu Chriſto Domino noſtro inſtituta: aut eſſe plura, vel pauciora, quàm ſeptem, videlicet Baptiſmũ Confirmationem, Euchariſtiam, Pænitentiam, extremam Unctionem, Ordinem, & Matrimonium: aut etiam aliquod horum ſeptem, non eſſe verè & propriè Sacramentum, anathema ſit.*

Eſſe ſeptem Sacramẽta probatur.

Aſſertionis & definitivæ hujus ſententiæ veritatem, præter Auctori-

ctoritatem Divinarum Scripturarum idem asserentium (quas vide apud Bellarminum & alios) præter Auctoritatem item prædictorum Conciliorum Generalium, probat sufficienter, perpetua Ecclesiæ Christi traditio de septenario numero Sacramentorum. Cùm enim, ut ipse fatetur Calvinus in lib: 4. Instit cap: 14. *Non satìs constat, quando cæptū sit in Ecclesia, de septenario numero Sacramentorum doceri:* signum est hanc traditionem, niti Auctoritate Apostolica, juxta illam S. Augustini Regulam Lib: 2do contra Donatistas cap: 7. & Lib 4. C. 24. *Quod universa per Orbem tenet Ecclesia; nec Conciliis institutum, sed semper retentum est; id nonnisi Apostolica Auctoritate traditum esse, rectissimè creditur.*

S. Augustinus tenet esse septem Sacramēta

Item sententia Orthodoxa, Auctoritate SS. Patrum Probatur, è quorum numero sufficiat audire S Augustinum. Is, præter Baptismum, & Eucharistiam, agnoscit plura Sacramenta. dicit enim In Psal: 108. Concione 1. *Munus Sacramentorum in Baptismo, in Eucharistia, & in cæteris Sanctis Sacramentis, quale munus est?* Et Episto: 118 ad Ianuarium. *Primò tenere te volo, Christum Dominum levi nos jugo subjecisse & Doctrinæ levi. Unde Sacramentis numero paucissimis* (Intellige comparativè ad Sacramenta Veteris Legis; erat enim magnus numerus diversorum sacrificiorum, quæ & ipsa quoq; Sacramenta erant) *observatione facillimis, significatione præstantissimis, societatem Populi Christiani colligavit; sicut est Baptismus nomine Trinitatis consecratus & Communicatio Corporis & Sangvinis ipsius: & si quid est aliud, quod in Scripturis commendatur.*

Confirmationem esse Sacramentum clarè docuit lib: 2. contra literas Petiliani cap: 104. dicens: *Sacramentum Chrismatis in genere visibilium signorum, Sacramentum est Sacrosanctum, sicut ipse Baptismus.* Baptismum autem quis neget esse propriè Sacramentum?

Ordinem conferendo cùm Baptismo, dicit lib: 2. contra Epistolam Parmeniani Cap: 13. *Utrumq; Sacramentum est, & quadam consecratione utrumq; homini datur: illud cum baptizatur: istud cùm or-*

ordinatur, ideoq; in Ecclesia Catholica, utrumq; non licet iterare. Utrumq; Sacramentum est, quod nemo dubitat. Et en Lutherus non tantùm dubitat; sed & figmentum esse, asserere non dubitat!

PÆNITENTIÆ Sacramentum comparat cum Baptismo. *Eadē est* (inquit lib: 1. de adulter: Coniugiis Cap: 26. & 28) *causa Baptismi & Reconciliationis, sine quibus Sacramentis, homines credunt, se non debere exire de corpore.*

De Matrimonio habet hæc lib: 1. de Nuptiis & Concupiscentiis Cap: 10. *Sacramenti hujus res est, ut Mas & Fæmina connubiô copulati, quamdiu vivunt, inseparabiliter perseverent.*

De extrema Vnctione scripsit Sermone 215. de Tempore: *Quoties aliqua infirmitas supervenerit; Corpus & Sanguinem Christi ille, qui ægrotat, accipiat; & inde corpusculum suum ungat; ut illud quod scriptum est, impleatur in eo: Infirmatur aliquis, inducat Presbyteros, & orent super eum, ungentes eum oleo &c:* Exstat etiam pro hoc Sacramento in Epistola 1ma Decretali Cap: 8. Testimonium Innocentii 1mi Papæ, qui fuit Augustini æqualis.

Congruentia pro septenario numero Sacramentorum.

CONFIRMATUR à Doctoribus Catholicis numerus Sacramentorum, congruentiis aliquibus: Mihi sufficit hic apponere congruentiam, quâ usus est S. Thomas 3. p. q. 65. artic: 1. & ex illo Concilium Florentinum in Decreto Unionis, scilicet, sicut ad vitam temporalem, imò necesse est, ut quis generetur, dein augeatur, nutriatur, &c, si in morbum inciderit, sanetur: ut depellantur morborum reliquiæ & ut instaurentur vires pristinæ: sit item aliqua recta Potestas & Auctoritas in alios: necessaria deniq; propagatio sobolis: ita etiam per Baptismum, spiritualiter renascimur: per Confirmationem augemur in gratia, & roboramur in fide; renati autem & roborati, nutrimur divinâ Eucharistiæ Alimoniâ: Quòd si per peccatum, ægritudinem incurrimus animæ, per Pænitentiam spiritualiter sanamur: spiritualiter etiam & corporaliter prout animæ expedit, per extremam Unctionē: per Ordinem verò Ecclesia gubernatur & multiplicatur spiritualiter

per Matrimonium corporaliter augetur.

Objectioni-bꝰ satisfit. NOTA 1mò. Sacramenta veteris Legis solùm erant instituta ad legalem quandam munditiem, & ad significanda mysteria Christianorum; non autem, ad perficiendum hominem, in vita spirituali: unde non sequitur, simili congruentiâ probari, septem fuisse Sacramenta, in Lege Veteri. Porrò hanc, & similes congruentias, non dicimus esse demonstrationes; ut falsò imponunt nobis hæretici: sed quæ ex fide habemus certa, de numero septenario Sacramentorum, datâ congruentiâ, & similibus, ostendimus non repugnare rationi.

NOTA 2dò. Blasphema Calumnia est hæreticorum, dicentium, per septem capita bestiæ Apocalipticæ, Apoc: 17 v. 7. intelligi septé Sacramenta. Nam S. Joannes expresse ibidem addit, Capita illa septem, esse septem Reges. Et aliàs, etiam Baptismus & Eucharistia, quæ ab ipsis hæreticis, agnoscuntur esse vera Sacramenta, & in nostro septenario numero Sacramentorum continentur; deberent esse capita illius bestiæ.

NOTA 3tiò. Falsò nobis imponunt hæretici, quòd locus ille S. Pauli, loquentis de Matrimonio novæ legis ad Ephesios 5. malè versus sit, cùm in Græco sit mysterium, noster autem interpres verterit, Sacramentum hoc magnum est; & ex hoc vocabulo Sacramenti præcisè, à nobis inferri Matrimonium esse Sacramentum. Falsum inquam. Tum quia idem est, *Mysterium* Græcis, quod Latinis *Sacramentum*: Græci enim, cùm de Sacramentis agunt, semper mysteria vocant; carentq in sua lingua, voce Sacramenti. Tum quia, non ex vocabulo præcisè Sacramenti (nulli enim dubium est, plus requiri ad sacramentum propriè dictum, quàm Sacramenti vocem) inferimus, Matrimonium esse Sacramentum: posito enim, quòd interpres noster vocabulum Mysterii retinuisset; tamen, ex illo loco, Catholici rectè intulissent, Matrimonium esse propriè dictum Sacramentum: cùm clarum sit, benè perpendenti textum illum, circumstantiasq, & modum loquendi, Apostolum ibi loqui de practico signo gratiæ: Sacramentum

au-

autem nihil aliud est nisi gratiæ Sanctificantis practicum signum sensibile: Unde & Græci ex illo textu, colligunt Matrimonium esse propriè Sacramentum. Erasmus quidem negat, ex illo loco Apostoli, evinci posse, Matrimonium esse Sacramentum, sed Scholastici omnes Doctores Catholici alii, & Consensus Ecclesiæ, affirmat: cui credemus? præsertim cùm constet, Erasmum præ nimia arrogantia & nimio novitatis amore, multoties Auctoritati Patrum, & Communi Consensui Doctorum, levissimo ex fundamento contravenisse, & sic in pluribus non leviter sæpè errasse: *Major futurus*,(ut Cæsar Scaliger appositè de illo scripsit) *si minor esse voluisset.*

NOTA 4tò: Sicut Scriptura nusquam expresse dicit, duo, vel tria esse Sacramenta; sic nec dicit expressè esse septem: sed extra Scripturam, habemus Traditionem Ecclesiæ, Auctoritatem Patrum, & Conciliorum, pro septenario numero.

VII.

INTENTIO MINISTRI NON REQUIRITUR AD VALOREM SACRAMENTI.

TOMO enim 1. in Disputatione pro veritate inquirenda, & oneratis conscientiis consolandis, Thesi 39. dicit. *Sacerdos etiã levis, ac ludens, seu scienter contra restrictionem agens, verè tamet baptizat, & absolvit.* Et in Assertione articuli 12. *Si Sacerdos non seriò, sed jocò absolveret: si tamen credat se esse absolutum, verissimè est absolutus.* Item in libro de Captiv: Babyl: cap: de Baptismo. *Non dubitem, si quis in nomine Domini suscipiat, etiam si impius Minister non det in nomine Domini, verè baptizatum esse - sicut legitur de quodam Mimo per jocum baptizato.* Similia habet in libro de Missa Angulari.

E contra Catholici asserunt, omnino requiri, ad valorem Sacraméti

Intentionē Ministri ad valorē Sacramēti requiri probatur.

menti, intentionem Ministri.

Hæc Assertio probatur 1mò Auctoritate. Eugenius 4tus Papa, approbante Concilio Generali Florentino, in Decreto Unionis, post enumerationem septem Sacramentorum dicit. *Hæc omnia Sacramenta, tribus perficiuntur, videlicet rebus, tanquam materiâ: verbis, tanquam, formâ, & Personâ Ministri conferentis Sacramentum, cum intentione faciendi, quod facit Ecclesia: quorum si aliquod desit; non perficitur Sacramentum.* Concilium Tridentinum Sess: 7. Canon: 11. dicit. *Si quis dixerit in Ministris, dum Sacramenta conficiunt, & conferunt, non requiri intentionem, saltem faciendi, quod facit Ecclesia, anathema sit.* Id ipsum expressè asseritur de intentione Ministri, ad valorem Sacramenti Pænitentiæ, requisita, Sess: 14. Cap: 6. & Canone 9. Quæ Concilia duo, esse, Generalia & legitima, non minùs certum est, quàm certum est, Nicænū 1mum, Ephesinum, Chalcedonense, esse Oecumenica, & legitima.

Probatur 2do. Quia Christus Dominus Sacramenta Novæ Legis voluit ministrari humanô modô, & per actiones humanas, jam autem illæ actiones humanô modô fiunt, quæ fiunt, cum intentione finis, & ex præcognitione finis. Ergo ut actiones Sacramentales censeantur fieri humanô modô; debent fieri ex præcognitione, & cum intentione finis præfixi actionibus Sacramentalibus, quà talibus. Debēt item actiones Sacramentales procedere à Ministro Christi, quâ tali: hoc autem fit per intentionem: per hanc enim, & Minister (positis & aliis requisitis) determinatur sufficienter, ut agat quà Minister; determinantur & actiones Sacramentales, ut ponantur à Ministro Christi quà tali: proinde intentio requiritur, ad valorem. Et certè, actiones Sacramentales non habent, hoc ex vi solius institutionis Christi ut quotiescunq ponuntur à Ministro, ponantur ut à Ministro Christi. Aliàs enim Sacerdos legens Epistolam Missæ de Corpore Christi, vel in Cæna Domini, consecraret, & conficeret Euchariſtiam: interrogatus item Sacerdos, quænam sit forma absolutionis; si eam proferat, ab-

sol-

ſolveret interrogantem. Quod tamen nullus prudens admittere poteſt.

Hugo de S: Victore (fuit is natione Saxo, Profeſſione Religioſus, Ordinis Canonicorum Regularium, & S. Bernardo familiaris) Tomo 3. lib: 2. de Sacramentis part: 6. cap: 13. confirmat ſolidè aſſertionem Catholicam, ex eo: quòd ſi intentio non eſſet neceſſaria, ſequerentur tria abſurda. Nam 1mò. Si parens aliquis duceret filium ad balnea; & dum illum mergit, ſignaret eum cruce, & diceret, lavo te in Nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti: nihil de Baptiſmo cogitans, ſed tantùm invocans Deum, ut benè cedat illa lotio ad ſanitatẽ corporis, tunc ille puer deberet dici baptizatus: quod eſt plane ridiculum. 2dò. Si Sacerdos in menſa legeret Evangelium ut fieri ſolet in menſa Prælatorum, & Religioſorum: & inter legendum pronunciaret illa verba: *Hoc eſt Corpus meum.* & *Hic eſt Sanguis meus.* iam totus panis, & totum vinum illius menſæ eſſet conſecratum, ſi non requiritur intentio. 3tiò Si cùm aliquis ancillam conducit, diceret: accipio te in meam (intelligens ancillam, ſed non exprimens) & illa ſimiliter diceret: accipio te in meum (intelligens Herum, ſed non exprimens) iam illi duo eſſent coniugati: quod eſt inconveniens. Accedit quòd aliàs Sacramentum in ſomno, caſu adminiſtratum, validũ eſſet.

An requiritur intẽtio etiam in ſuſcipiente?

Imò non ſolùm intentio Miniſtri requiritur ad valorem Sacramenti, ut iam, ob definitionem Concilii Tridentini, certum eſt ex fide: ſed etiam neceſſe eſt ad valorem Sacramenti in adultis, ut recipiens, habeat intentionem ſeu voluntatem recipiendi. Et quidem certum eſt, in Sacramento Pænitentiæ, & Matrimonii requiri conſenſum in ſuſcipiente: Ad valorem etiam Baptiſmi in Adultis, requiritur voluntas ſuſcipiendi Baptiſmum; ut conſtat tum ex Chriſti Conſtitutione & voluntate; Matth: 28. *Euntes docete omnes Gentes Baptizantes eos &c.* Tum quia Baptiſmus, eſt Sacramentum Fidei: ergo ſicut Fides voluntariè ſuſcipi debet, ita & Baptiſmus. Tum quia Innocentius 3tius in cap: *Majores.* §. *Item quæritur. Extra de Baptiſmo*, ait. *Ille verò, qui nunquam conſentit, ſed penitus contradicit, nec rem, nec*

cha

characterem suscipit Sacramenti. Tum quia ita sentiunt ferè omnes Doctores Scholastici, ut S. Thomas, S. Bonaventura, Halensis, Scotus, Durandus, &c: Imò & S. Augustinus libro 4. de Baptismo cap:24. & aliis in locis, contra Cajetanum. Aliud est de Parvulis: nam parvulus non est capax propriæ intentionis: unde illi sufficit intentio Christi, & Ecclesiæ. Hinc constat, neq dormientes, neq. amentes, baptizari posse, nisi habuerint antea consensum in Baptismum. Si autem quis à nativitate fuit amens, poterit baptizari, ex sola voluntate Christi, & Ecclesiæ, sicut & parvuli baptizantur. Extrema Unctio conferri quidem solet ægroto qui usum rationis amisit, nec antea habuit intentioné expressam & formalē suscipiendi hoc Sacramentum: tamen supponitur in illo ægroto generalis illa voluntas (& hìc sufficit) quâ unusquisq fidelis Pænitens ac benè dispositus, vult frui omnibus Sacramentis, & remediis, ad salutem suam à Christo institutis, & ea desiderat sibi conferri, si quando indiguerit.

Ad Solvendas objectiones in Contra.

Solvuntur objectiones.

NOTA 1mo. Falsum est, quòd Sacramenta novæ Legis sint instituta tantùm ad excitandam Fidem; & solam fidem iustificare; ut constat etiam ex dictis suprà: Sacramenta enim novæ Legis sunt causæ instrumentales gratiæ, ut constat, tum ex definitione multorum Conciliorum, & sensu SS. Patrum antiqvorum, quorum textus vide apud Bellarminum lib: 2. de Sacramentis, Cap 5. 6. & 7. Tum ex Scriptura. Ioan: 3 *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto, non potest introire in Regnum Dei.* Hinc habetur, Baptismum aquæ, esse causam novæ spititualis nativitatis, quæ fit per infusionem gratiæ sanctificantis. Et Act: 2. *Pænitentiam agite & baptizetur unusquisq vestrûm in nomine Iesu, in remissionem peccatorum.* Et Act: 22. *Exurge & baptizare, & ablue peccata tua, invocato nomine ipsius.* En Baptismo tribuitur remissio peccatorum. Ratio item est: Quia aliàs Sacramenta nihil conferrent infantibus; cùm in illis non possit excitari fides: conferrent autem aliquid circumstantibus, in quibus, per verbum Conci-

onale excitatur fides: sicq́ melioris essent conditionis, qui non acciperet Sacramentum. Insuper, Hæretici admittunt nostrum Baptismum qui conferri solet linguâ Latinâ, sine ulla concione, quam tamen linguã, nec baptizatus, nec circumstantes ordinariè intelligunt.

NOTA 2dò. Licèt Baptismus S. Genesio collatus fuit jocosè quò ad cæremonias, & antecedentia ablutionem, & prolationem formæ Baptismi, non tamen fuit jocosè collatus quò ad ipsam ablutioné, & formam Sacramentalem: Deo scilicet subitò immutante tum Cor ipsius Ministri, ut ille vellet agere, quod facit Ecclesia, tum etiam ipsius Genesii, suscipientis Baptismum, ut ille vellet seriò baptizari. Quãquam alii dicunt sat probabiliter, Baptismum illum fuisse invalidũ; Genesium autem justificatum fuisse, non virtute illius Baptismi, verùm ratione Contritionis perfectæ & constantiæ in fide, quos actus, tunc per singularem Dei gratiam excitantem elicuit Genesius. S. Athanasius cùm puer esset, pueros baptizando, verè baptizare voluit: quod colligitur ex eo, quia non quosvis pueros, sed solùm catechumenos baptizavit, omnesq́ Ecclesiæ cæremonias adhibuit, licèt acceperit illam actionem baptizandi pro materia ludi & oblectationis.

NOTA 3tiò. Tempore S. Augustini adhuc illa quæstio de necessitate intentionis Ministri ad valorem sacramenti, nondum erat ab ullo Concilio definita: unde Divus Augustinus Lib: 7mo de Baptismo cap: 53. erat dubius de valore Baptismi sine intentione: modò autem jam est illa controversia definita in Conciliis, Florentino, & Tridentino. Nec obest, quòd hæc Concilia non recipiantur ab Hæreticis modernis; quia neq́ Nicænum recipiebatur à Donatistis in causa Anabaptismi: & tamen S. Augustinus ubiq́ affirmat, rem esse certam & definitam, propter illius Concilii Auctoritatem.

NOTA 4tò. Ex eo, quòd ad valorem Sacramenti requiratur intentio Ministri, non sequitur, quòd fideles debeant esse incerti de validitate Baptismi, aut Sacramenti Pænitentiæ à se suscepti: licèt enim non habeant certitudinem Fidei, aut metaphysicam, vel physicam

cam de eo, quòd Minister habuerit intentionem baptizandi & absolvendi Sacramentaliter: habent tamen vel habere possunt certitudinem moralem, cùm non sit prudenter sperabile oppositum, cùm nemo gratìs sit, velitq esse malus: hoc est sine sua aliqua utilitate vel cõmodo. Quæ autem utilitas Ministro provenit, si Sacramentum administret invalidè & sine intentione necessariò requisita?

VIII.

CERTUM EST, REMISSA ESSE PECCATA, SI CREDIS REMISSA. Thesis 15. In Disp: pro Veritate inquirenda. Tomo 1.

IBidem dicit idẽ Lutherus Thesi 14ta. *Licet incertus sit, tam Sacerdos, quàm peccator de contritione, rata est absolutio, si credit sese absolutum.* Similis est Thesis & quadragesima.

Falsitas prædictæ Thesis demonstratur

Si certum (& qnidem ut Lutherus & ejus Asseclæ volunt, certitudine omnimoda) remissa esse peccata, si credantur esse remissa. Cur ergo Lutherani negant esse remissa peccata Zvinglianis, Anabaptistis, qui simili stulta præsumptione & fide stultissima, credunt sibi esse remissa peccata? Quomodo Veritas Thesis prædictæ subsistere potest, cùm certum sit per experientiam, multos esse qui se hac fide justificatos esse certissimè credunt, & tamen sæpè se ipsos fallunt, ut fatetur ipse Calvinus Lib: 3. Inst: dicens: *Sunt qui fallaci fidei simulatione, non hominum oculis modò imponere, sed suis ipsorum animis: tot vanitatis recessus habet, tot mendacii latebris scatet cor humanum, tam fraudulenta hypocrisi tectum est, ut se ipsum sæpè fallat.* Quodnam ergo omnino certum & infallibile signum est? fidem illam, quâ sibi quis remissa esse peccata persvadet ex Lutheranis, esse veram fidem, non simulatam? Item si certum omnino est, remissa esse peccata illi, qui credit sibi esse remissa? ergo eidem omnimodè certum erit se esse in gratia & amore Dei dignum: Cùm tamen S. Job Cap: 9.

di

dicat: *Si habuero quidpiam justum, non respondebo, sed meum judicem deprecabor: si justificare me voluero, os meum condemnabit me: si innocentem ostendero, pravum me comprobabit. Etiamsi simplex fuero* (id est justus: justitia enim, simplicitatis nomine in Scripturis comprehenditur) *hoc ipsum ignorabit anima mea.* Et S. Dauid Psal 18. *Delicta quis intelligit? ab occultis meis munda me Domine, & ab alienis parce servo tuo.* Salomon Proverb: 20. *Quis potest dicere, mundum est cor meum, purus sum à peccato?* Item Ecclesiastæ 9. *Sunt justi atque sapientes, & opera eorum in manu Dei: & tamen nescit homo, utrum odio vel amore dignus sit: sed omnia in futurum servantur incerta.* Et Eccl: c. 5. *De propitiato peccato* (seu ut ex græco verti potest: de propitiatione vel placatione peccati) *noli esse sine metu.* Quid clariùs pro veritate nostra à Spiritu Sancto dici potest? Et S. Paulus 1. ad Corinth: 4to: *Nihil mihi conscius sum, sed non in hoc justificatus sum: qui autem judicat me, Dominus est: itaque nolite ante tempus judicare, quò ad usque veniat Dominus.*

Ex Doctrina tamen hac Catholica minimè sequitur: Nos debere de peccatorum remissione dubitare. Aliud enim est, certum omnimodè esse, & sine ulla prorsus formidine de remissione peccatorum: aliud dubitare de remissione peccatorum: aliud demum de Dei benignitate benè sperando, sibi remissa peccata credere, sed non sine formidine oppositi: siquidem nulli certum & evidens est (sine speciali Dei revelatione) omnia à se præstita esse, quæ ad remissionem peccatorum requiruntur. Et hoc tertium, nos Catholici amplectimur: dubitationem verò & præsumptionem illam rejicimus.

NOTA, Thesis illa 8va infundatur magna ex parte in hac Thesi: *Sola fide in Christum efficeris justus sine ullis tuis operibus & meritis.* quam esse erroneam, demonstratum suprà in Tractatu 3tio sub Thesi 9na: infundatur item in illa eius falsissima propositione: *Baptizatus homo, etiam volens non potest perdere salutem suam quantiscunque peccatis, nisi nolit credere.* habetur in libro de Captiv: Babyl:

IX.

NEGARE UTRAMQUE SPECIEM LAICIS, EST IMPIUM & TYRANNICUM; NEC IN MANU ULLIUS ANGELI, NECDUM PAPÆ, AUT CONCILII CUIUSQUAM. Lib: de Captiv: Babylonica

Cōtradicit sibi Lutherus.

SICUT in pluribus aliis, sibi ipsi contradicebat Lutherus, ita & in præsenti. Oppositum enim docuit in sermone de Eucharistia Tom: 7. dum scripsit: *Quamvis populo nunc non datur utraq; species sicut olim: neq; est necesse, tamen Sacerdotes utramq; sumunt coram populo: & satis est, populum quotidiè desiderare, & suo tempore alterā speciem, quantū ordinat & dat Ecclesia Catholica, sumere.* Similesq; contradictiones super hoc uno articulo, Gasparus Querhamer, Laicus & Civis Valnensis in Saxonia, connotatas triginta sex publicavit vivente adhuc Luthero, non sine magno eius rubore & auctoritatis diminutione: quas vide apud Cochlæum in libro, cui titulus Septiceps Lutherus: sed quidquid sit de Lutheri inconstantia in docendo.

Nō est ullū Præceptum Christi de sumenda ab omnibg Eucharistia, sub utraq; specie.

Catholici omnes asserunt, nullum esse præceptum Christi, ut omnes Fideles sub utraq; specie Sacram Eucharistiam sumant: estq; hæc Veritas definita in Conciliis, Constantiensi Sess: 13. Basileensi Sess: 30. & in Tridentino Sess: 21 cap: 1. & sequ: Canone verò primo ejusdem Sessionis sic statuitur: *Si quis dixerit, ex Dei Præcepto, vel necessitate salutis, omnes & singulos Christi fideles, utramq; speciem Sanctissimæ Eucharistiæ Sacramenti sumere debere, anathema sit.* Prædictis Oecumenicis Conciliis, præsertim Constantiensi & Trident:(quidquid sit de Basileensi) cùm interfuerit flos Christianæ Religionis, tot ex Orbe Christiano Præsules & Theologi, pietate & doctrinâ præstantissimi. [Constantiensi enim interfuerunt Archiepiscopi & Episcopi supra ducenti, Tridentino supra ducenti quinquaginta, præter Abbates, Generales Ordinum & Theologos plurimos] rectæ rationi consonum est, ut eorum sancitis, & tanto judicio universali, quivis Christianus suum privatum sensum præponere & contravenire non præsumat.

Hoc ipsum probatur multipliciter.

Ve-

Veritas insuper Catholica, Probatur 1mò. Quia nullum Concilium, nullus SS. Patrum, nullus demum Scriptorum veterum Ecclesiasticorum, agendo de Mysterio Eucharistiæ, vel scribendo de erroribus Manichæorum, qui nonnisi sub una specie communicabant (censebant enim vinum esse fel draconis, nec Christum esse verè mortuum & sanguinem fudisse) nullus inquam asseruit, præceptô Christi adstingi fideles omnes ad sumendam sub utraq specie Eucharistiam. Primi (centū nonnisi ferè annis ante exortum Lutheri) in Latina Ecclesia id asseruerunt Iacobellus quidam Pragensis Concionator, & Petrus Dresdensis ex Misnia expulsus, propter Vicleffi & Ioannis Huss hæreses, quibus imbutus erat, &Iacobellum iisdem imbuerat. Idem asserunt Græci Schismatici huius temporis. Porrò silentium tantum Antiquitatis totius, vocale testimonium est, nullum esse præceptum Christi de Eucharistia sub utraq specie necessariò sumenda ab omnibus fidelibus.

Probatur 2dò. Quia usum unius speciei comprobavit Christus Dominus & Apostoli: Christus enim aliquando solùm unam speciem dedit: scilicet duobus Discipulis in Emaus euntibus: *Et factum est* (inquit S.Lucas cap: 24. à v. 30.) *dum recumberet cum eis, accepit panem & benedixit ac fregit & porrigebat illis: Et aperti sunt oculi eorum, & cognoverunt eum, & ipse evanuit ex oculis eorum.* Hunc locum, de Pane Eucharistico intelligunt Patres antiqui, Hieronymus Epistola 27. quæ est Epitaphium Paulæ cap: 3. Augustinus sermone 146. & alibi. Chrysostomus Homil: 17. in Matth: Operis imperfecti: Isychius Episcopus Hierosolymitanus, qui vixit circa Annum 601, Beda, Theophilactus, Euthymius in hunc locum, Glossa & alii plures. Imò & ipsi Novatores, ut Melanthon, Kemnitius & alii. Quòd verò Christus non consecraverit tunc Calicem, & eum dederit. Probatur, quia statim porrecto pane, aperti sunt oculi Discipulorum, illicòq evanuit. Et cur Calicem porrectum tacuisset S. Lucas, cùm non reticuerit Calicem, describendo Cænam ultimam? Etsi autem Sacerdotibus non licèt consecrare panem sine vino; licuit tamen Christo (& defa-

cto

cto id fecit in Emaus) utpote summo Legislatori, qui fuit supra suam legem.

Idem S. Lucas agendo de recens conversis & baptizatis, quibus post Baptismum consveverat statim Eucharistia dari, Act: 2. v. 42. dicit: *Erant autem perseverantes in Doctrina Apostolorum & communicatione fractionis panis & orationibus.* Hic loqui S. Lucam de Eucharistia, non solùm sensit S. Chrysostomus Homilia 27. in 1. Corinth: & alibi, sed fatetur etiam Lutherus serm: de Eucharistia, Calvinus libro 4. Instit: cap: 16. sect: 35. & Kemnitius in Examine Concilii Tridentini, sess: 21. Plessæus & alii. Similiter loquitur S. Lucas Act: cap 20. v. 7.

Neq dicas cum Kemnitio, in illis locis Scripturæ, per Synecdochen intelligi etiam usum Calicis: aliàs sequeretur unam speciem tantùm panis fuisse consecratam. Sed unde Kemnitio constat S. Lucam toties usum fuisse Synecdoche? sequela illa negatur: S. enim Evangelista non de Apostolis, sed de aliis fidelibus, qui erant conversi ab Apostolis scribit, quòd fuerint perseverantes in fractione Panis: unde licet Apostoli consecrabant utramq speciem, tamen alii fideles sumebant sub una: sicut defacto etiam modò fit in Ecclesia Catholica.

Accedit: quòd inter Neoconversos Iudæos fuerunt haud dubiè multi Nazaræi, qui ex voto ad certum tempus abstinebant à vino: ut constat ex Act: cap: 18. v. 18. & cap: 21. versu 23. Judæis item erat moris, in suis sacrificiis abstinere à vino & sanguine: permittebanturq ab Apostolis initio quædam Legalia servare: ut constat Act: 2. v. 20. Ergo ejusmodi NeoChristiani saltem sumebant Eucharistiam sub specie solùm panis non vini.

Exẽplis etiam variis probatur eadẽ Veritas Catholica.

Probatur 3tiò. Quia post tempora Apostolorum, Communio sub una tantùm specie fuit sæpè etiam in usu: nec talem usum Ecclesia primitiva damnavit. Usum eiusmodi fuisse constat imò Exemplis: Ex pluribus refero aliqua. Hæresi Macedoniana infectam mulierem dũ variis motivis & crebris admonitionibus vir eius convertere non posset, qui eadem hæresi antea infectus, sed S. Chrysostomi Concionibus

re-

resipuerat factus Catholicus: *Tandem nisi* (inquit) *in Religione consors mihi fueris, ne in vitæ quidem Communione posthac eris. Ibi mulier data fide, se id facturã, cum ancilla quadam, quam fidam arbitrabatur, de hac re communicat, eamq; sibi ad fraudem Marito faciendam, sociam adjungit: itaq; tempore Communionis (intelligunt autem* inquit Sozomenus, *qui Christo initiati sunt, quid dicam) illa, quod acceperat continens, velut oratura procumbit: famula interim astans, furtim porrigit id, quod manibus adveniens ferebat: quod quidem, simul atq; dentibus admotum esset, in lapidem induruit. Tum mulier timore consternata, ne quid sibi gravius eveniret, ob tantum miraculum in se divinitus editum, cum festinatione ad Episcopum (is erat Joannes Chrysostomus) accurrit, se ipsam indicat, ac lapidem ostendit, qui manifesta vestigia morsûs, sed materiam incognitam, & inusitatum colorem præseferebat; cũq; profusis lachrymis veniam impetrâsset, cum Marito deinceps concors vixit: si cui autem hæc verisimilia non videntur, testis est ipse lapis, qui etiam hodie inter Constantinopolitanæ Urbis Cimelia conservatur.* Hæc Sozomenus, qui vixit circa Annum 440. Idem refert Nicephorus lib: 13. cap 7. & ex his Baronius Tomo 5. Annaliũ ad Annũ Christi 400. Ex hac Historia patet, fuisse tunc usum sumendi Eucharistiam solùm sub specie panis: aliàs enim illa Mulier nunquam se ipsam celare potuisset, si de manu Sacerdotis, vel Diaconi necesse omnino fuisset bibere de Calice.

S. Prosper Episcopus Rhegiensis, S. Augustini Discipulus & Defensor lib: Prædict: & Promiss: Dei, parte 4. cap: 9. refert Historiam de Puella Energumena, quæ per dies octoginta duos, dæmone prohibente, nihil deglutiverat. *Tandem peractô* (inquit S. Prosper) *Sacrificiô, cùm, eadem puella, inter cæteras, brevem particulam Corporis Domini tinctã à Sacerdote perciperet, semihorâ mandens, traijcere non valuit; nondum illo fugato, de quo dixit Apostolus: Quæ consonantia Christi ad Belial? manu igitur faciem ejus sustentante Sacerdote, ne Sanctum proijceret, à quodam Diacono suggestum est, ut Calicem salutarem gutturi ejus Pontifex*

tifex applicaret: quod ut factum est, statim locum illum, quem diabolus obsederat, Salvatoris imperiô reliquit: Sacramentum quod ore gestabat, cum laude Redemptoris, transglutîsse puella clamavit. En Diaconus, non ut Calix Salutaris daretur, sed tantùm ut gutturi ejus applicaretur suggessit. Sive autem illa particula Corporis Domini tincta fuerit vinô communi sive consecratô, parùm refert: cum utroq modo constet non sumi speciem alteram per modum potûs, quem Novatores omnino volunt esse adhibendum.

Celebris item est Historia de Serapione, quam refert Eusebius libro 6to Histor: Cap: ultimo ex Epistola Dionysii Episcopi Alexandrini ad Flavianũ Antiochen: Episc: *Erat Serapion apud nos fidelis senex, qui licèt magnam vitæ partem integram & incorruptam transegißet, tempore tamen persecutionis præ imbecillitate animi lapsus est. Hic sæpenumerò in Ecclesia denuo recipi supplex postulabat: sed nemo, quia idolis sacrificasset, ejus postulationi aliquando auscultauit: Qui in gravem morbum lapsus, triduo deinceps mutus, & absq; sensu vixit, quarto autem die paululùm relevatus, nepotem ad se accersit, sicq; alloquitur: Quò usq; Fili me detinetis: properate obsecro, & me ocyùs dimitte: Aliquem ex Præsbyteris advoca ad me: quæ cùm dixisset, iterum fuit mutus. Percurrit ad Presbyterum, nox jam erat, ille fortè morbô vexatus, accedere ad eũ non poterat, sed tamen à me quidem mandatum dabatur, ut qui jam essent de vita emigraturi, Sanctorum Mysteriorum (dummodò peterent, & vel maximè, si antea dum integra valetudine erant, supplices petivißet) participes fierent, sicq; cum pace dimissi, ac bona spe confirmati, ex hac luce discederent: puero exiguam quandam Eucharistiæ partem dedit: præcipiens, ut eam madefactam, in os senis infunderet, quam puer secum adferens rediit: cui jam appropinquanti, priusquam cum eo quod gestabat intraret ædes, Serapion denuo voce recuperata dixit: Venisti Fili, tametsi Presbyter non potest venire, tu tamen præsta, quod tibi in mandatis dedit & dimitte me abire. Particulam igitur puer, quam apportârat, madefactam, in os senis infudit: atq; ille simulatq; eam pedetentim per*

fau-

fauces demiserat, illicò extremum ſpiritum edidit.

S. Ambroſius *Statim atq; eſcam Corporis Domini* (inquit Paulinus in eius vita) de manu Honorati Sacerdotis Eccleſiæ Vercellenſis, accepit: *emiſit Spiritum.* Et S. Baſilius (ut ſcribit in eius vita Amphilochius) *dividens panem Sacrum, in tres partes: unam ſumpſit, alteram impoſuit Columnæ aureæ ſuper Altare, & poſtea etiam moriturus tertiam partem ſumpſit, & reddidit Spiritum Domino.*

Idem uſus ſumendi Euchariſtiam ſub una ſpecie, Conſtat 2dò. Tum quia Euchariſtia ſæpe ſub una tantùm ſpecie ſervabatur in Eccleſia diu ad communionem infirmorum, & morientium, utì apparet ex Concilio Nicæno Can: 12. & 14. Et Clemens Romanus libro 8. Conſtit: cap: 13. jubet peracta Communione, quod ſupereſt de Corpore Chriſti, reponi à Diaconis cum debita reverentia in Tabernaculo. S. Naziãzenus in Oratione de obitu Gorgoniæ ſororis ſuæ, teſtatur, illam nocturno tempore in Eccleſia conſveviſſe ad Altare procumbere, & Chriſtũ in Euchariſtia adorare. Interdum item Euchariſtia per integrum annum aſſervabatur: ut refert Sophronius Epiſcopus Hieroſolymitanus (qui vixit circa annum 630.) in Prato ſpirituali cap: 79. Unde apparet illam aſſervatam ſub ſola ſpecie panis fuiſſe: nam vinum præſertim in parva quantitate, tanto tempore ſervari non poteſt, quin aceſcat & corrumpatur: Tum quia Sacram Euchariſtiam olim in ædes ſuas deferebant Chriſtiani, ut pro opportunitate & neceſſitate, privatim communicarent. Unde Tertullianus lib: 2. ad uxorem, ait: *Non ſciet maritus, quid ſecretò ante omnem cibum guſtes & ſi ſciverit, panem, non illum credet eſſe, qui dicitur.* Et S. Cyprianus ſermone 5. de lapſis. *Cùm* (inquit) *quædam mulier arcam ſuam, in qua Domini Sanctum fuit, manibus indignis tentâſſet aperire, igne inde ſurgente deterrita eſt, ne auderet attingere.* S. Ambroſius in Oratione de obitu ſui Fratris Satyri c. 7. ſcribit, qvòd is in naufragio, *Sacramentum ligatum in orario* (id eſt in ſtola, ſeu in linteo, ſimili ſuperhumerali) *collo involuit, ſeu* ad collum ſuſpendit, & ſic ſalvus evaſit. Linteô autem certè non involvi-

Praxis ãtiquiſſima cõprobat uſum Euchaſtiæ ſub una ſpecie

tur vinum: & Tertullianus ſolius panis facit mentionem: Nec in Domibus Laicorum erant Sacri Calices, quibus Sanguis Chriſti ſub ſpecie vini contineri poſſet; ut conſtat ex Apologia 2da S. Athanaſii contra Arianos. Tum quia ut ſcribit Evagrius lib: 4. Hiſtoriæ cap: 35. *Veteri more Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ, particulas Corporis Chriſti relictas, pueri impuberes manducabant.* Infantibus autem impotentibus ſolidum panem ſumere, ſolebat in os inſtillari aliquid vini conſecrati; ut ſcribit S. Cyprianus, ſermone de lapſis. Quanquam tempore eiuſdem S. Cypriani, perſecutione ſæviente, ſumebant quoq; adulti Chriſtiani ſæpè Euchariſtiam ſub ſpecie vini, ut ſic magis animarentur ad Martyrium & ſanguinis effuſionem pro Chriſto: unde idem Sanctus Epiſtola 56. ad Thibaritanos ſcripſit: *Conſiderantes, idcirco ſe quotidie Calicem Sanguinis Chriſti bibere, ut poſſent & ipſi propter Chriſtum, ſanguinem fundere.* Tum quia non eſt credibile (ut rectè notat Valentia cum aliis) eos, qui olim naturâ eſſent abſtemii, aut vinum, ob aliam cauſam ferre non poſſent, ſemper fuiſſe ab Euchariſtiæ uſu, omnino prohibitos. Incredibile item eſt, in numero maximo, fidelibus ad Communionem accedentibus in urbe, ubi ſolùm unus erat quandoq; Sacerdos, & ſolùm unum Sacrum fiebat ex Calice uno, & quidem exiguo (ut etiam nunc ex antiquiſſimis Calicibus viſuntur aliqui) potuiſſe ſingulis Sanguinem Chriſti, ſub ſpecie vini miniſtrari. Neq; enim unquam, aut raró nonniſi fuit uſus in Eccleſia conſecrandi plures ſimul Calices: ideoq; cùm quidam aliquando plures ſimul Calices conſecrarent, id reprehendit Gregorius 3tius in Epiſtola (quæ exſtat in Tomo tertio Conciliorum) ad Bonifacium ſcribens hæc: *In Miſſarum ſolenniis obſervandum eſt, quòd Dominus noſter Jeſus Chriſtus Sanctis ſuis tribuit diſcipulis: Accepit namq; Calicem, & dedit eis, dicens: Hic eſt Calix Novi Teſtamenti, in meo Sanguine, hoc facite quotieſcunq; ſumitis: unde Congruum non eſt, duos vel tres Calices in Altari ponere, cùm Miſſarum ſolennia celebrantur.* Tum quia uſus unius ſpeciei tempore Apoſtolorum cæptus, & in primitiva Eccleſia multis in locis non intermiſſus; poſterioribus etiam tempo-

ribus

ribus ad nostra usq tempora duravit. ut constat ex Beda Lib: 2. Histor: cap: 5. qui natus Anno 679. Ex vita item S.Bernardi scripta à Guilhelmo Abbate, Sancti Bernardi æquali: & S. Thoma, Lyrano & aliis.

Cardinalis Hosius in Dialogo de utraq specie, probabiliùs censet, in Polonia, à suscepto Christianismo, solum usum fuisse Eucharistiæ sub specie panis. Porrò cæpit ille usus seu consvetudo in Ecclesia Latina esse generalis, non multò ante tempora Concilii Constantiensis, in quo sess: 13. pro lege illam consvetudinem habendam esse, decretum est: quod rursus in Concilio Basileensi Sess: 30. & tandem in Tridentino, post accuratissimas Sapientissimorum totius Orbis Patrum ac Theologorum Disputationes, & deliberationes, infallibili auctoritate comprobatum est Sess: 21.

Ad solvendas objectiones & meliorem intelligentiam dictorum.

NOTA 1mò. Verba illa Christi Domini: *Bibite ex hoc omnes* Matth: 26. v. 27. seu quod perinde valet, atq illud Luc: 22. v. 17. *Accipite & dividite inter vos.* id est, unus non exhauriat totum Calicē, sed singuli aliquid bibant: Verba illa dicta sunt solis Apostolis, ut patet ex illo Marci 14. versu 24. *Et biberunt ex eo omnes.* Quod si quæratur. Quo ergo præcepto Christi, tenentur omnes fideles communicare? Respondeo. Sub utraq specie nullo præcepto tenentur: abstrahendo autem ab una vel ab utraq specie, tenentur vi illorum verborum. *Nisi manducaveritis Carnem Filii hominis &c.* Dixit quidem Christus Marci 13. *Quod vobis dico, omnibus dico*: Sed cum hoc addito: *Vigilate.* Multa enim dixit Apostolis, quæ omnibus fidelibus non conveniunt, ut: *Omnes vos scandalum patiemini in me, ista nocte. Euntes prædicate Evangelium omni creaturæ. Quorum remiseritis peccata &c. Nonné ego vos duodecem elegi, & ex vobis unus diabolus est.*

Objectiones cōvellūtur.

NOTA 2dò Christi Domini verba absoluta hæc: *Hoc facite in meam commemorationem.* Referuntur solùm à S. Luca & à S. Paulo, & quidem (quod notandum diligentissimè) referuntur dicta à Christo post consecrationem panis, non autem referuntur eadem verba dicta

à Chriſto, poſt conſecrationem vini: ut intelligeremus, juſſiſſe Dominum, ut ſub ſpecie panis omnibus diſtribueretur Euchariſtia, ſub ſpecie autem vini non item. Refert quidem S. Paulus, dixiſſe Chriſtum poſt Conſecrationem vini: *Hoc facite, quotieſcunq; bibetis in meam commemorationem.* Sed his verbis non præcipitur, ut abſolutè calix debeat dari, vel ſumi neceſſariò: verùm ſolùm præſcribitur modus, ut ſcilicet, ſi fiat uſurpatio ſeu ſumptio Euchariſtiæ ſub ſpecie vini in Calice; fiat id in memoriam Paſſionis & Mortis Chriſti. Unde rectè inferunt Caietanus, Valentia, & alii: luce Meridiana eſſe clariùs, quòd Chriſtus non præceperit abſolutè his verbis, ut biberent & miniſtrarent ad bibendū, ſed tantùm ut facerent in ſuam commemorationem, quoties id alioqui fieret.

Explicatio Verborum Chriſti: Niſi manducaveritis Carnē &c.

NOTA 3tiò. Verba illa Chriſti Domini. *Niſi manducaveritis Carnem Filii hominis: & biberitis ejus Sanguinem, non habebitis vitam in vobis.* Tripliciter à Doctoribus Catholicis explicantur. 1mò ſic: Niſi manducaveritis carnem & biberitis ſanguinem ſub una vel ſub utraq ſpecie, non habebitis vitam. Conceditur: ſolùm ſub utraq. Negatur. Quod ipſum patet: quia nec in verbis citatis, nec in toto illo capite, fit ulla mentio Vini & Calicis: Imò nec probabiliter inde colligi poteſt. Vnde enim? Non ex voce: *Carnis & Sanguinis*? quia ſub una ſpecie eſt totus Chriſtus vivus, adeoq cum carne & ſanguine. Non ex voce, *manducandi & bibendi?* Quia manducatio & bibitio, ſæpè pro eodem ſumitur in Scriptura: Sic Pſal: 78. dicitur: *Dederunt in eſcam meam fel.* Matth: verò cap: 23. *Dederunt ei vinum bibere cum felle mixtum.* En fel bibitur, & manducatur, & hoc capiunt Novatores. Cur non capiunt, cùm dicimus, Chriſtum ſub una ſpecie bibi & manducari? Confirmatur. Quia Chriſtus in eodem Capite, tam ante quàm poſt prædictum Textum, ſæpè ſolius unius ſpeciei manducationem aſſerit valere ad vitam æternam, dicens: *Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum. Panis, quem Ego dabo, Caro mea eſt pro mūdi vita. Qui manducat me, & ipſe vivet propter me.* Sermonemq illum

lum de Eucharistia concludit solius speciei panis mentionem faciendo: *Non sicut manducaverunt Patres vestri manna, & mortui sunt: Qui manducat hunc Panem, vivet in æternum.* Usurpavit autem Christus suprà, verbum comedendi & bibendi, ut significaret necessitatem realis perceptionis Carnis & sanguinis quò ad rem, veritatemq & fructũ ex hac perceptione ad vitam spiritualem tuendam. Ex Analogia autem esûs & potûs, in quibus est perfecta virtus reficiendi hominem, aptissimè id intelligitur. 2da Explicatio est. Quòd in prædicto Textu ly *et* sumitur pro disiunctiva, *vel,* more in scripturis consveto, ut Exodi 21: *Qui percußerit Patrem suum & Matrem, morte moriatur.* Ubi certum est ly *et* quæ particula in hebraico Textu habetur, sumi pro *vel.* S. etiam Paulus de hoc ipso Sacramento tractans ait: *Qui manducat & bibit indignè, judicium sibi manducat & bibit.* Ubi ly *et* sumitur pro *vel.* Nam eum etiam, qui alterutrum indignè facit, significare vult, judicium sibi manducare, seu bibere: sicut etiam ante dixerat disiunctivè: *Quicunq;* (inquit) *manducaverit panem hunc, vel biberit Calicem Domini indignè, reus erit Corporis & Sangvinis Domini.* Idẽ patet in plurimis aliis Scripturæ locis: Quòd autem Christus hic sumpserit ly *et* pro *vel*, deducitur ex rationibus suprà datis. 3tiò Explicatur sic: *Nisi manducaveritis &c.* id est: Nisi sint in Ecclesia aliqui qui hoc Sacramentum sub utraq specie sumant, non habebitis vitam. Conceditur. Nisi sint omnes tales. Negatur. Si enim nulli tales sint, consequenter nulli erunt, qui Sacramentum hoc conficiant, nulli qui ministrent, atq ita peribit totus fructus Sacramenti. Multa enim sunt præcepta in scripturis, quæ dantur Universæ Ecclesiæ, sed implenda per aliquos, non per singulos; ut monet S. Augustinus, tale est illud: *Crescite & multiplicamini.* Hæ omnes tres Explicationes Textûs prædicti, stare simul possunt diversa consideratione. Nam ut sapienter monet S. Augustinus libro 1. de Trinit: Cap: ultimo: *Non uno tantùm Scripturarum sensu, sed quotquot reperiri possunt, uti debemus: tantò enim fortiùs, convincuntur hæretici, quanto plures exitus patent ad eorum laqueos evitandos.*

Ad-

Adverte, quòd Lutherani & Calvinistæ nihil ex prædicto Textu Scripturæ solidi contra nos adferre possunt: quia illi cum suo Luthero & Calvino, negant, Christum Dominum toto illo Capite Joan: 6. aliquid omnino egisse de Sacramentali manducatione, sed tantùm de spirituali: scilicet de Fide in Christum: licet Hussitæ nobiscum sentiant, ibi principaliter agi de Eucharistia.

Cur quodā S.Leo præcepit usum Eucharistiæ sub utraq; specie?

NOTA 4tò. Manichæi & Priscillianistæ, omne vinum, tanquam fel Draconum, & Principum tenebrarum abominabantur, ut testatur S. Augustinus, lib: de Hæresibus Cap: 46. unde Sacramentum Eucharistiæ, solùm in specie panis vel conficiebant vel usurpabant. Ne ergo Manichæi sese occultare Romæ inter Catholicos possent, præcepit S. Leo Magnus serm: 4. de Quadragesima: ut Catholicorum nemo à Calice abstineret. *Cùm* (inquit) *ad tegendam infidelitatem suam, nostris audeant interesse Mysteriis, ita in Sacramentorum Communione se temperant, ut interdum tutiùs lateant, ore indigno, Christi Corpus accipiunt, Sanguinem autem Redemptionis nostræ haurire omnino declināt: Quod ideo vestram volumus scire Sanctitatem, ut vobis hujuscemodi homines, & his manifestentur indiciis, & quorum deprehensa fuerit Sacrilega simulatio, notati & proditi, à Sanctorum societate, Sacerdotali Auctoritate pellantur.* Ubi adverte, quòd Manichæi nunquam se simulâssent Catholicos, sumendo tantùm sub specie panis Eucharistiam, si id aliàs aliquando non fecissent ipsimet Catholici. Præceptum hoc Leonis Papæ confirmavit post ipsum, 4tus Papa Gelasius, in Epistola ad Majoricum & Ioannem Episcopos, apud Gratianum *De Consecrat: Dist: 2. Can: Comperimus.* Quanquam præter ipsum Gratianum, etiam S. Thomas 3. p. q. 80. art: 12. ad 1. censet, Gelasium, illo Canone loqui de Sacerdotibus, qui sicut totum consecrant Sacramentum sub utraq specie, ita etiam illud tunc sub utraq specie sumere tenentur.

Quorūdam Ruthenorū error.

NOTA 5tò. Rutheni moderni à Luthero edocti, arguunt Ecclesiam Latinam de usu Eucharistiæ sub una specie: Verùm imprudenter id faciunt. Tum quia Græci veteres, etiam Schismatici, nihil tale un-

unquam objecernnt Latinis. Tum quia ipsi sub una specie populo distribuere solent. Imò moris est apud Græcos & Ruthenos, quòd tempore Quadragesimæ, Missa non celebretur nisi die Sabbathi & Dominico: cùm verò Sacerdos eorum celebrat alio die in Quadragesima, tunc sub una specie, die Dominico consecrata, communicat.

NOTA 6tò. Aliud est, esse aliquid à DEO institutum, aliud esse Præceptum: Nam Deus instituit Matrimonium, non tamen omnes ex Præcepto Divino tenentur inire Matrimonium: instituit Christus munus conficiendæ & administrandæ Eucharistiæ: non tamen tenentur id omnes obire: Instituit Eucharistiam vespere, post cænam sumptam: non tamen tenemur communicare nonnisi vespere, & post cænam. Unde universaliter loquendo. Ubi institutioni divinæ præceptum adjunctum non est, non peccatur contra institutionem, si juxta illam non omnino fiat. Concedunt omnes Catholici sub utraq; specie à Christo institutum esse Sacramentum Eucharistiæ, sed rectè negant Christum præcepisse omnibus usum utriusq; speciei: ut constat ex dictis: id enim liberum reliquit ordinationi Ecclesiæ.

Distincta sũt hæc: Esse institutum: &, Esse præceptum.

NOTA 7mò. Si quæras, cur constitutum sit ab Ecclesia, ut nonnisi sub una specie Eucharistia sumatur? Respondetur. Rationes inter alias esse has. 1mò. Ut ipsa eiusmodi praxi damnetur eorum hæresis, qui docent præceptô Christi omnino adstringi omnes fideles ad sumendam utramq; speciem. 2dò. Ut ubiq; servetur uniformitas in sumenda Eucharistia: multi enim naturâ abhorrent à vino: alii nimiùm delicati abhorrent ex eodem Calice sumere, ex quo immediatè antea inculti barbari sumpserunt potum: multis item in locis vix haberi potest vinum, pro sacrificiis. Dicit quidem Melanthon in libro de usu integri Sacramenti, Ruthenos ob vini inopiam, posse loco vini, uti aquâ mellitâ, id est mulso. Sed si semel admittatur posse ab homine mutari materiam Sacramenti à Christo institutam, posset pari ratione dici, loco mulsi, vel vini, posse Ruthenos uti crematô, vel cerevisiâ, vel lacte. Quod quis asserat? 3tiò. Quia in tanta jam fide-

Cur ab Ecclesia cõstitutũ, ut sub una tãtùm specie, Eucharistia sumatur?

fidelium multitudine, & varietate, & negligentia etiam rerum Sacrarum propter imminutũ charitatis & Religionis studium, periculum est effusionis sanguinis, aut irreverentiæ: initiò autem, Ecclesia nec ita latè diffusa erat, & major erat fidelium devotio, atq cura in rebus sacris tractandis: proinde non erat tunc tantum periculum in usu Calicis, quantum succcessu temporis ipsa experientia inesse docuit. Et sicut Ecclesia, satiùs postea compertis incommodis, & justis de causis, judicavit, infantibus non dandam esse Eucharistiam, nec in privatis ædibus in arca vel linteo, à laicis seruandam: sic & in præsenti. Habet enim Ecclesia inter alia, potestatem ordinandi & præscribendi ea, quæ non pertinent ad substantiam Sacramentorum: & sic defacto Ecclesia ordinavit, ut ante sumptionem cibi sumatur Eucharistia: cùm tamen id Christus liberum permiserit. Porrò ad substantiam Sacramenti Eucharistiæ, necessarium solùm est, sumere Christum sub specie externa, non autem necesse sumere sub utraq specie, cùm non minùs totus Christus contineatur sub una specie, quàm sub utraq, nec minor fructus per se loquẽdo (ut communissimè docetur) habeatur ex sumptione unius, quàm utriusq speciei. Unde dicit Tridentinum Sess: 21. cap: 3: *Fatendum est, sub altera tantùm Specie, totum atq; integrum Christum, verumq; Sacramentum sumi; ac propterea quod ad fructum attinet, nullâ gratiâ necessariâ ad salutem, eos defraudari, qui unam speciem solam accipiunt.* Et Concilium Moguntinum sub Sebastiano Archiepiscopo celebratum anno 1549. Cap: 32. sic habet: *Ille sub una specie communicandi mos, ad salutem sumentium æquè utilis ac efficax est, quàm alter sub utraq; cùm constet non minùs accipi sub una specie.*

Ritus antiquus comunicandi.

NOTA ultimò. Ritus antiquus Christianorum in communicando (ut refert Cornelius à Lapide in Epist: ad Corinth: Cap: 11. in fine, adducens testimonia Conciliorum & Patrum) fuit is. 1mò, Christiani jeiunabant usq ad cænam Dominicam. 2dò. Populus panem & vinum offerebat in Ecclesia, certo loco Diaconis: hi ferebant ad Altare: communicaturis apponebantur tabellæ, quasi mensulæ, uti hodie ad

men

mensam linteô stratam communicat populus, 3tiò. Ante cōmunionem clamabat Præco, vel potiùs Diaconus aut Sacerdos: *Sancta, Sanctis.* Tum Sacerdos dabat, dicens: *Corpus Christi &c:* Respondebat accipiens: *Amen.* Illud autem accipiebant non ore, sed manu. Viri nudâ dexterâ, superpositâ sinistræ, per modum Crucis, unde & manus ante lavabant: Fæminæ verò manu velatâ mundô linteô, quod, *Dominicale*, vocabatur: deinde quisq manu sua acceptam Eucharistiam in os ingerebat, scilicet sub una specie panis, eamq quotidie jejuni sumebant.

X.

IMPIISSIMUS ABUSUS EST IN ECCLESIA, PERSUADERI, MISSAM ESSE OPUS BONUM, & SACRIFICIUM. Lib: de Captiv: Babyl.

ALIBI verò, nempè in Libro contra Zvinglium & Oecolampadium dicit idem Lutherus: *Maxima peccata mea sunt, quòd tam Sanctus fui Monachus, ac tot Missis per annos 15, Dominum tam graviter offendi.* Et in libro contra Regem Angliæ: *Manifestū* (inquit) *est, Sacerdotes in Missa id omittere, quod Christus in Cœna fecit, & id facere, quod Iudæi fecerunt in Cruce Christo.* Item Articulo 24. ex Articulis 76. Contra Lovanienses, Tomo 2. ait: *Missam pro defunctis offerri, hæreticum est, & blasphemum.* Imò totus Lutherus furit in Missam, in libellis suis de Captivitate Babylonica: de abroganda missa privata, Et in Confessione sua, quam edidit anno 1528. Supra omnes abominationes, dicit se habere Missam quam vocat, summum Sacrilegium, Idololatriam, Commentum Papisticum. &c.

Quòd si quis dicat. Utiq Lutherus scripsit in Explicatione decē Præceptorum, Tomo 1. inter alia, hæc: *Missas pro vivis & defunctis valere, tota approbavit Ecclesia. Error esse non potest, pro defunctis celebrare Missas, cùm & illud S. Augustinus pro sua Matre Monica fecerit.* *Lutherus sibi contrarius.*

V Cer-

Certus sum, & scio Missas, tam vivis, quàm defunctis prodesse. Item, Utiq; Resolutione 26. scripsit. *Cùm Sacerdos cum populo orat, jeiunat, sacrificat, de quo suffragio nullum est dubium, quòd vehementer prosit, & redimat animas.* Hæc autem contradictoriè opponuntur Propositionibus supra citatis. Respondetur. Et illas suprà citatas Propositiones, & has defacto scripsisse Lutherum. Solenne enim ipsi fuit, in Dogmatibus fidei, & aliis in rebus, pugnãtia sibi dicere, & quidem adeo hoc ipsi solenne fuit, ut à Condito orbe non exstiterit scriptor ita inconstans, & doctrinæ suæ eversor, ut Lutherus. Forsan hac ratione ostendere voluit Lutherus, se non semper mentiri: ex contradictoriis enim Propositionibus, una omnino vera esse debet, cùm impossibile sit, idem simul esse, & non esse.

Quis Lutheri Magister in abrogando Missæ Sacrificio?

Quòd si 2do quæras? à quonam Magistro didicit Lutherus, adeo furiosè loqui & scribere contra Sacrosanctum Missæ Sacrificium. Audi, clarissimam sanè, & non jocò, non parabolicè, sed seriò, propriè, & historicè (ut fatentur etiam Primores Lutherani) literis mandatam respõsionem, & confessionem ipsiusmet Lutheri, Lib: de Missa privata & Unctione Sacerd: Tomo 7: *Ego coram vobis* (inquit) *Reverendis & Sanctis Patribus confessionem faciam: date mihi absolutionem bonam, quæ vobis, opto, quàm minimùm noceat. Contigit me semel sub mediam noctem subitò expergefieri, ibi satan mecum cæpit disputationem. Audi* (inquit) *Luthere, Doctor perdocte. Nosti etiam te quindecim annis celebrâsse Missas privatas, penè quotidie. Quid si tales Missæ privatæ essent horrenda Idololatria? Quid si ibi non adfuisset Corpus & Sanguis Christi, sed tantùm panem & vinum adorâsses, & aliis adorandum proposuisses? Cui ego Respondi. Sum unctus Sacerdos, accepi unctionem & consecrationem ab Episcopo: & hæc omnia feci ex mandato & obedientia Majorum &c.* Mox Argumenta numero sex recenset (quæ infra proposita & soluta habentur) quibus ad improbandum Missæ Sacrificium, Diabolus usus est, & nunc etiam Lutherani utuntur. Tandem conclusa Disputatione, inter alia ait: *Hic certè sudor effluxit ex me, & cor cæpit titu-*

titubare: Dæmon scit benè suum argumentũ proponere, Et habuit gravem, fortem sermonem, & solent tales disputationes, non multis prolongari cogitationibus, sed in momento succedit una responsio alteri: & tunc benè expertus sum, quomodo fit; quòd homines manè in lecto mortui reperiantur. Potest ipse Corpus suffocare: hoc unum est: potest etiam animam, ita anxiam reddere disputando, ut ipsa migrare debeat in uno momento: Sicut ipse sæpè vix mihi hoc non fecit. En ipse me in hac disputatione cæpit, & ego nollem coram Deo tantam multitudinem abominationum super me esse, sed meam innocentiam defendere. Et audivi ipsum, quales nam rationes haberet contra meam consecrationem.

Ex his & infra dictis patet, Magistrum Lutheri in abroganda Missa & tot contra eam blasphemiis, fuisse Dæmonem: ex quo ipso sufficienter.

Probatur, Missam Catholicam, esse verum Sanctum Sacrificium Deo placens. Nam Dæmon infensissimus hostis Divini honoris, Pater mendacii, incitator ad malum, nunquam svasisset Luthero, abrogandam esse Missam, si foret Idololatria. Insuper Missam esse verum Sacrificiũ incruentum, in quo Christus immolatur. *Missam Catholicã, esse verũ Sacrificium, demõstratur.*

PROBATUR multipliciter, 1mò. Lutherus, cum suis Asseclis, concedunt nobis Catholicis, has duas Propositiones. 1ma est. Tota Christiana Ecclesia Latina, Græca, barbara, ante annos mille, eodem modo absolvit Missam, quò ad partes principales omnes, ut nunc absolvitur. Missa enim Latina, ut nunc est, absoluta est tempore S. Gregorii Magni Papæ, ut fatentur Hæretici: & constat palàm à tempore S. Gregorii, nihil ad Canonem Missæ additum esse. 2da est. Missa ut nunc absolvitur, est Sacrificium. Ut expressè habet Lutherus in libro contra Regẽ Angliæ: nec diffitentur hoc & alii Novatores. His duabus Propositionibus suppositis, & concessis, sic argumentor: Si Missa, quæ habita est pro Sacrificio in toto orbe terrarum, ab annis minimùm mille, non est verum Sacrificium, sed summa abominatio, Sacrilegium, & Idololatria, ut furiosè clamat Lutherus cum suis, Sequitur 1mò inevitabiliter. Ergo

go Ecclesia totâ per annos mille periit, Christum Sponsum suum amisit: non enim Ecclesia Christi esse potuit eiusq; sponsa, quæ palàm Idololatriæ tot sæculis servivit. 2dò. Ergo falsa sunt vaticinia Prophetarum, Osee 2do & aliorum, qui prædixerunt, post Christi adventum, Idololatriam cessaturam. 3tiò. Ergo falsa est Christi promissio: *Portæ inferi non prævalebunt. Ego vobiscum sum usq; ad consummationem sæculi. Oravi pro te Petre, ut non deficiat fides tua.* Falsa Apostoli verba: *Ecclesia est columna & firmamentum veritatis.* 4tò. Ergo S.Gregorius Magnus (imò &Basilius, Nazianzenus, Chrysostomus, Augustinus, Ambrosius,) Bernardus, Albertus, Stanislaus, Bonifacius, primus Archiepiscopus Moguntinus, Germanorum Apostolus, Ansgarius Svecorum Apostolus, Ebbo Archiepiscopus Rhemensis, Daniæ Apostolus, & Sacerdotes omnes alii, qui Sanctitate & miraculis innumeris coruscabant, per hos annos supra mille; fuerunt sacrilegi Idololatræ: nam omnes prædicti, celebrabant Missas: ut constat ex historia vitæ ipsorum: item omnes Majores nostri, ex Paganismo vel Judaismo conversi ad Christum, fuerunt Idololatræ, & proinde ut Idololatræ damnati. 3tiò. Ergo Deus, qui tam multa præterita, futura, & contingentia, minusq; necessaria, Sanctis per hos, supra mille annos, in omni humilitate, puritate, morrificatione membrorum suorum, observatione divinorum Mandatorum viventibus, revelavit: hoc tamen Mysterium, scilicet MISSAM esse Idololatriam, nulli omnino ex tanto numero Sanctorum revelavit: sed soli Luthero, homini superbissimo, Maledicentissimo, Monacho excucullato, luxurioso, votifrago, innotescere id fecit, & quidem non per aliquem bonum Angelum, sed per dæmonem. Quis hæc non absurdissima, & nullo modo credibilia esse censeat?

PROBATUR 2dò, Ex perpetuo usu Ecclesiæ Christianæ à temporibus Christi, Missæ Sacrificium offerendi, ad hæc usq; tempora continuato. Nam S. Lucas referendo Ordinationem Pauli & Barnabæ, Actorum 13. ait: *Ministrantibus illis Domino & jejunantibus, dixit Spiritus Sanctus: Segregate mihi Saulum in opus, ad quod aßumpsi eos,* Pro ly

Mi

Ministrantibus, habet Græcus Textus, *Leiturgunton*, quod nomẽ *Liturgia* accipitur in Scriptura, pro Ministerio Sacrificii, unde Græci celebrationem Missæ, Liturgiam appellant: & Erasmus vertit: *Sacrificantibus illis Domino*. S. Andreas Apostolus (ut testantur Presbyteri Achaiæ, qui interfuerunt ipsius Passioni) dixit Egeæ Proconsuli: *Ego immaculatum Agnum in Altari offero, cujus Carnem posteaquam omnis populus credentium manducaverit, Agnus qui Sacrificatus est, integer perseverat, & vivus:* Comprobantq; eundem usum, antiquissimæ Liturgiæ Sanctorum, Jacobi, Clementis, Basilii, Chrysostomi, Ambrosii, Cyrilli, Isidori. Comprobant item Ritus Altarium, quæ nonnisi in usu sunt ad Sacrificia propriè dicta.

PROBATUR 3tiò. Quia Christus Dominus, in Cæna ultima incruentum hoc Missæ Sacrificium instituit, dum panem & vinum in Corpus suum & Sanguinem transmutavit, & Apostolis manducandum se præbuit; incruentô se ipsum Sacrificiô, secundùm Ordinem Melchisedech Deo Patri se obtulit, & hoc in sui commemorationem facere iussit Apostolos, & eorum successores, ut docet Concilium Trid: Sess: 21. Cap: 1. testanturq; id omnes SS. Patres, ex quibus aliqui audiantur.

S. Irenæus Episcopus & Martyr, Apostolorum ætati proximus, scripsit hæc, lib: 4. cap: 32. *Eum qui ex creatura panis est, accepit, & gratias egit, dicens: Hoc est Corpus meum: Et Calicem similiter, qui est ex Creatura secundùm nos, suum Sanguinem confessus est & Novi Testamenti docuit novam oblationem, quam Ecclesia, ab Apostolis accipiens in universo mundo offert DEO.*

S. Cyprianus itidem Christi Martyr, Lib: 2. Epist: 3. ait: *Nam si Iesus Christus Dominus, & Deus noster, ipse est summus Sacerdos Dei Patris, & Sacrificium Patri ipse primus obtulit, & hoc fieri in sui commemorationem præcepit: Utiq; ille Sacerdos vice Christi verè fungitur, qui id, quod Christus fecit, imitatur, & Sacrificium verum & plenum tunc offert in Ecclesia DEO Patri, si incipiat offerre secundùm quod, ipsũ Christum videat obtulisse. Christus Sacrificium Deo Patri obtulit, hoc idẽ*

quod Melchisedech obtulerat, id est, panem & vinum, scilicet suum Corpus & Sanguinem.

S. Augustinus in Psal: 33. dicit: *Ipse Dominus de Corpore & Sanguine suo, instituit Sacrificium secundùm ordinem Melchisedech.* Non absimilia habent, Hieronymus, Ambrosius, Isidorus, Damascenus, Oecumenius, Theophilactus, & alii.

Confirmatur Veritas Catholica de Sacrificio Missæ, Tum Vaticiniô S. Malachiæ Prophetæ, Nomine Dei dicentis Cap: 1. *Ab ortu solis usq; ad occasum Magnum est Nomen meum in Gentibus, & in omni loco Sacrificatur, & offertur Nomini meo Oblatio munda.* Nomine huius Oblationis, intelligitur Sacrificium Corporis & Sanguinis Christi in Eucharistia, ut præter Concilium Tridentinum Sess: 22. Cap: 1. docent omnes Patres, & Doctores, ut, Hieronymus, Clemens Romanus, S. Martialis, Irenæus, Justinus, Cyprianus, Augustinus, Chrysostomus, Cyrillus, Damascenus, Theodoretus, Remigius, Rupertus, Haymo, Hugo, Lyranus, &c. Insuper & Rabbini, ut Rabbi Samuel, & alii, vide Bellarminum lib: 1. de Missa, toto cap: 10. ubi omnia hæreticorum effugia evertit. E numero illorum Patrum audiatur solus S. Justinus Martyr: *De nostris* (in Dialogo cum Thyphone, inquit) *Gentium, quæ in omni loco offeruntur, Sacrificiis, hoc est pane Eucharistiæ, & similiter poculo Eucharistiæ, jam tunc locutus Malachias, prædixit, nos quidem glorificare Nomen ejus: vos autem profanare.* Tum quia non est credibile, Deum, qui nullo unquam tempore, scilicet in Lege Naturæ, & scriptæ, reliquit Ecclesiam suam sine aliquo Sacrificio: in lege gratiæ, Ecclesiam Christi, omni verô & publicô Sacrificiô destitutam, quo possit omni tempore Deũ placare, vitæ ac necis Dominum agnoscere: quod oblatione Sacrificii propriè præstatur. Imò ipsi Gentiles, ductu luminis Naturæ, agnoscebant Deum colendum esse Sacrificiis. Tum quia in Eucharistiæ Mysterio nihil deest eorum, quæ requiruntur ad Sacrificium propriè tale. Est enim Sacerdos, qui offert: Hostia, quæ offertur DEO, scilicet Christus sub specie panis & vini. Est Ecclesia Fideli-

deli-

delium, pro qua offertur: eſt altare, in quo offertur: eſt demum actio Sacrificãdi, ſeu offerendi. Quid ergo deeſt ad verum Sacrificium?

ARGUMENTA, A DÆMONE PROPOSITA LUTHERO, SOLVUNTUR.

Sex Argumenta Dæmoniaca contra Sacrificium Miſſæ, refellũtur.

ARGUMENTUM 1mum. Qui conſecrandi poteſtate caret, conſecrare non poteſt. ſed tu Luthere, & omnes Catholici Sacerdotes, conſecrandi poteſtate caretis. Ergo nec tu, nec illi conſecrare poteſtis. Probat Minorem Dæmon. Quiſquis vera fide caret, conſecrandi poteſtate caret: ſed tu & Sacerdotes Catholici, vera fide carent. Ergo &c: Minor probatur. Quiſquis eandem de Chriſto Fidem cum Turcis, & nobis dæmonibus, habet, vera fide caret. ſed vos Chriſtiani nunc omnes, eandem de Chriſto fidem, cum Turcis, & nobis dæmonibus habetis. Ergo &c: Minorem probat. Qui ſolùm de Chriſto Hiſtoriam totam credunt, non autem illius miſericordiæ fidunt, neque illum pro Mediatore, & Salvatore habent, verùm ut ſævũ Judicẽ exhorreſcunt: eandem habent cum Turcis & nobis dæmonibus fidem. Sed omnes tales nunc eſtis Chriſtiani. Quia à Chriſto tanquam crudeli Judice confugiebatis ad Mariam, & Sanctos, illi ſunt Mediatores veſtri, & Salvatores: Sicq́ erepta eſt gloria Chriſto. Ergo &c: Ad hoc Argumentum ſilet Lutherus, licèt aliàs loquaciſſimus, ſed Orthodoxus Reſpondet, in hoc Argumento tria eſſe falſa. 1mò. Falſa eſt Major 2di Syllogiſmi, Quia Catholicus Sacerdos legitimè ordinatus, ſi fiat Hæreticus, utì factus eſt Arius, Neſtorius, Lutherus, conſecrandi poteſtatem non amittit. 2dò, 4ti Syllogiſmi Major falſa eſt, quòd tota ſcilicet Hiſtoria de Chriſto, à Turcis credatur, & quòd eis, Chriſtus tanquam ſævus Judex horrori ſit. 3tiò, Falſiſſima eſt probatio ultima. Quando enim Beatiſſimam, vel Cælites precamur, tunc non à Chriſto fugimus, verùm potiùs ad eum tunc accedimus: ſed majore cum Majeſtatis ipſius reverentia, & noſtrâ, illorumq́ Cælitum demiſſione: dum tot, tantoſq́ Cæleſtis Aulæ Proceres adhibemus precabundi, eoſq́ unà nobiſcum ante Thronum ejus proſternimus. Argu-

ARGUMENTUM 2dum. Quiſquis ita Sacramentum Euchariſtiæ tractat, ut neq hoc aliis ſimul, neq ſub utraq ſpecie porrigat, is malè illud tractat, neq verè unctus & conſecratus eſt Sacerdos: ſed tu Luthere omneſq Sacerdotes, ita Euchariſtiam tractatis. Ergo &c: Majorem probat Dæmon 3pliciter. 1mò. Ex ipſis Cænæ Dominicæ apud Evangeliſtas & S. Paulum, verbis: 2dò ex definitione: Sacerdos enim verus, (inquit) eſt Miniſter Eccleſiæ, conſtitutus ad prædicandum verbum, & porrigenda Sacramenta. 3tiò. Ex ipſo communionis vocabulo: quòd Sacerdotibus, Laiciſq Communem Menſam Sacramenti ſignificat. Reſpondet Orthodoxus Negando Maiorem. Probatio 1ma Negatur. Nihil enim ex verbis Evangeliſtarum, & Sancti Pauli confici poteſt, ut ſimul & ſemper, cum Sacerdotibus Sacramentum accipiant Laici: tantùm enim præcipitur, ut ſumant Chriſtiani: an verò ſimulcū Sacerdote, & Chriſtiani omnes, tacetur. Utiq ſi Lutheranus æger quiſpiam communicare ſolus ſubitò vellet, id fieri poſſet? Ad 2dam Probationem, Reſpondetur: Definitionem eſſe malam. Tum quia potiùs à Sacrificio, quod proprium eſt Sacerdotis, definiendus eſt. Tum quia poteſt eſſe Sacerdos, qui unum tantùm Sacramentum, non aliud miniſtret, vg. Euchariſtiam, non Pænitentiam: nec deſinit eſſe Sacerdos, ſi actu non miniſtret, aliàs enim cùm dormiret, ſtuderet, non eſſet Sacerdos. Ad 3tiam Probationem Reſpondetur. Communionem vocari, quia particeps fit Sacerdos Corporis & Sanguinis Domini, ſive cum aliis, ſive ſolus.

ARGUMENTUM 3tium. Quiſquis Sacramentum tractat Euchariſtiæ, debet mortem Chriſti annuntiare, & confiteri: ut dicitur Matth: 26. & 1. ad Corinth 11. Tu Luthere & Sacerdotes, mortem Domini non annuntiatis. Ergo &c: Negat Orthodoxus Minorem. Nā ipſamet incruenti Sacrificii actio, eſt cruenti Sacrificii repræſentatio, mortiſq Dominicæ annuntiatio: ut patet ex Notatis infrà: eandem item, tot Sacroſancta in Canone verba, tot cruces, ritus, veſtes demonſtrāt. Adverte, Quia in Crucis Sacrificio, Chriſtus diu in ſilentio peregit oblatione

tionem: item ob reverentiam tanti myſterii, aliaſq́ cauſas juſtas, pleraq́ in Miſſa, voce ſubmiſſa leguntur.

Argumentum 4tum. Qui utitur Sacramentô ad Sacrificandum, non ad illud diſtribuendum, is facit contra Chriſti Sententiam, & inſtitutionem. Sed tu Luthere ſic es uſus: ut ex verbis Suffraganei ungentis te, perſpicuum eſt. Ergo &c. Reſpondetur. Negando Majorem. Nam Chriſtus Dominus in ultima Cæna, incruentum Sacrificium obtulit, ut ſuprà probatum, idemq́ fieri juſſit, dicens: *Hoc facite in meam commemorationem.*

ARGUMENTUM 5tum. Quiſquis commune Sacramentum, facit opus proprium, is contra Chriſti mentem & ſententiam facit: Sed Euchariſtia eſt Commune Sacramentum, & tu Luthere cum aliis, feciſti illud opus proprium. Ergo &c: Reſpondetur. Trãſita Majore, Negatur Minor. Quia fructus huius Sacramenti eſt communis.

ARGUMENTUM 6tum. Campana & àër baptizari non poſſunt. Ergo unus ſolus Euchariſtiam accipere non poteſt. Probatur Conſequentia: ſicut enim illic non eſt Perſona, quæ Baptiſmi ſit capax: ita & in Miſſa privata, non eſt qui Euchariſtiam accipiat, nempe Eccleſia. Confirmatur. Nemo ſe ipſum abſolvere, confirmare, baptizare, ordinare, ungere, nubere ſibi ipſi, poteſt. Ergo neq́ Sacerdos ipſe communicare. Reſpondet Orthodoxus. Non eſſe neceſſe, ut tota Eccleſia Euchariſtiam ſumat: imò hoc eſſe impoſſibile: ſed ſufficere ut aliqua pars Eccleſiæ ſumat, qualis eſt & ipſe Sacerdos.

Ad Confirmationem Reſpondetur imò, Retorquendo. Nemo unquam ſe ipſum in quibuſcunq́ circumſtantiis, Sacramentaliter abſolvere, confirmare, baptizare ordinare, ungere, nubere ſibi ipſi poteſt. Ergo neq́ Sacerdos unquam in ullis circumſtantiis, etiam in illa quando aliis diſtribueret Euchariſtiam, ſibi ipſi eam dare poteſt: quod quis etiam Heterodoxorum concedit? Directè Reſpondetur. Negando Conſequentiam. Illa enim enumerata, tantùm obtinent rationem Sacramenti: Euchariſtia verò eſt ſimul Sacramentum, & Sacrificium: ſicut in Veteri

teri Lege, Agnus Paschalis fuit & Sacramentum, & Sacrificium.

Hucusq in formam Syllogisticam redacta Argumenta dæmoniaca proposita sunt: quæ teste Luthero sunt multùm convictiva: teste Friderico Baldvino, Prædicante ac Doctore Theologiæ Vitebergæ, tam firma, tam certa, ut ea infirmare, iisq respondere, non possint Papistæ omnes. An talia sint, quisq prudens advertat.

Ad meliorem intelligentiam dictorum & solutionem objectionum.

NOTA 1mò. Quòd Diaboli, Lutheriq Disputatio è Germanico per intimum Lutheri amicum, Justum Jonam, Doctorem Juris Canonici Professorem Vitebergensem, eiusdem Lutheri auctoritate & consensu, Latinè conversa sit, & inserta Tomo 7. Lutheri Operum. Hanc Disputationem si quis legat, statim advertet clarè, ea cum Luthero egisse Diabolum, quæ cum iis, quos docere volunt agere solent homines. Advertet item disputationem illam, non fuisse institutam à dæmone, ut ad desperationem impelleret Lutherum: sed ut ei persvaderet esse erronea Dogmata Fidei Orhodoxæ: Christus Dominus tentatus quidem fuit à dæmone, sed eum profligavit, nec ei assensum præbuit, nec quidquam didicit à Dæmone. imò nec ab ullo homine, vel Angelo discere propriè potuit, utpote ab instanti Conceptionis suæ plenùs sapientiâ. Lutherus verò, modoprimùm in illa Disputatione diabolica, habita anno 1518. erronea illa Dogmata à Dæmone didicit, & amplexus est. Scilicet: Missam esse Idololatriam, Eucharistiam non esse adorandam: Sanctos non esse invocandos. &c: Antea enim solùm abusus quosdam Indulgentiarum cæperat reprehendere, non ipsum Missæ Sacrificium, non cultum Sacramentorum. Zvinglius licèt sibi antea erroneè persvaserat, Verba Christi: *Hoc est Corpus meum*, debere in sensu Methaphorico intelligi: tamen quia ipsemet scripsit, postea sibi nocte quadam adfuisse Monitorem, qui an ater fuerit, an albus, nescivit, à quo Monitore confirmatum se sensit validè in sua opinione, adductis ab eo verbis illis Exod: 12. *Est enim Phase, hoc est transitus Domini*

Lutherus & Zvinglius fuerũt discipuli dæmonis.

ni

ni. Hinc inferunt sat rectè Primores Lutherani, Zvinglium haud dubiè fuisse Dæmonis Discipulum. Quidni ergo multò magis rectè nos Catholici ex disputatione illa habita Diaboli cum Luthero, & spectatis omnibus Circumstantiis, inferamus, Lutherum fuisse pariter Dæmonis Discipulum? Accedit. Quòd Maximilianus Imperator in Comitiis Augustæ Vindelicorum, Anno Dominni 1618. publicè prãdens, intuitus Lutherum dixit Baroni cuidam Pincernæ suo, (ut refert Bredenbachius lib: 8. cap: 41.) *Video Cacodæmonem, formâ corporeâ humeris istius Monachi incubantem, & te quidem superstite, me verò defuncto, iste Monachus turbas, calamitates & miserias gravissimas in Imperio suscitabit.* Fatetur item ipsemet Lutherus, se cum dæmone plusquam modium salis comedisse: SSq́ Patres docent, quòd Diabolus sit Auctor omnium hæresum.

Dæmon in humeris Lutheri, visus.

NOTA 2dò Christus Dominus non habet quidem successorem in Sacerdotio cum pari potestate: siquidem est in æternum talis, qui semper vivit: habet tamen Ministros, seu Vicarios, qui ipsi subserviunt in officio Sacerdotali. Sacrificium cruentum in cruce oblatum, habet vim infinitam Sanctificandi homines, nec opus est alio Sacrificio eiusmodi, aut eius repetitione: duo tamen sunt necessaria, unum ut simus memores illius, tanti beneficii: secundum, ut fructus illius beneficii nobis applicetur: utrumq́ fit per Sacrificium Missæ, & alia media â Deo ordinata.

Satisfit Objectionibus Hæreticorũ contra Sacrificium Missæ.

Per illud dictum Christi Domini, Joan: 4. *Spiritus est Deus, & eos qui adorant eum, in Spiritu & veritate oportet adorare*: non excluditur adoratio per Sacrificium Missæ, sed prænuntiatur & dicitur futurum spirituale & æternum respectu veterum carnalium, & Eucharistiæ figurativorum. Sicut multa Sacrificia vetera, erant repræsentationes & figuræ futuri Sacrificii cruenti in Cruce, & simul erãt vera Sacrificia; Ita Eucharistia, est repræsentatio Sacrificii cruenti in Cruce oblati, & simul verum Sacrificium.

NOTA 3tiò. Sacramentum Eucharistiæ, à Sacrificio differt

Per quid differt Sacramentũ Euchari-stiæ à Sacrificio?
Quis finis Sacrificii?
Quotuplex Sacrificiũ?

3pliciter. Imò Quia in Sacramento accipimus aliquid à Deo: in Sacrificio damus aliquid Deo: 2dò. Sacramentum tantùm nobis prodest, qui sumimus: Sacrificium & aliis, tam vivis, quàm defunctis. 3tiò Per Sacramentum, vita reficitur Spiritualis: per Sacrificium, placatur Deus iratus. Finis Sacrificii, est multiplex. 1mus est recognitio supremi Dominii, quod Deus in nos habet. 2dò. Gratiarum actio pro beneficiis ab eo acceptis. 3tiò. Novorum beneficiorum petitio. 4tò Expiatio peccati. Hinc solet distingui Quintuplex Sacrificium, scilicet, Latreuticum, seu Adorativum: Eucharisticum, seu Gratiarum actorium: Impetratorium, Propitiatorium, & satisfactorium. Sacrificium Propitiatorium à satisfactorio, differt per hoc: quod illud ordinatur ad delenda peccata, quò ad culpam, seu ad tollendam offensam, & reconciliandum Deo, eum, pro quo offertur: Hoc autem ordinatur ad delenda peccata, quò ad pœnam: unde etiam offertur pro animabus Purgatorii.

Soli Deo offertur Sacrificium Missæ.

Certum est apud orthodoxos; quòd in Missa soli Deo Sacrificium offertur, unde etiam Concilium Tridentinum Sess: 22. cap: 3. dicit: *Quamvis in Honorem & Memoriam Sanctorum, nonnullas interdum Missas Ecclesia celebrare consveverit, non tamen illis Sacrificium offerri docet, sed Deo soli, qui illos coronavit: Unde nec sacerdos dicere solet; Offero tibi Sacrificium Petre vel Paule, sed Deo de illorum victoriis gratias agens , eorum Patrocinia implorat, ut ipsi pro nobis intercedere dignetur in cælis, quorum memoriam facimus in terris.* Omnino similia, habet S. Augustinus Lib 8. de Civitate Dei Cap: 27. & Lib: 20 contra Faustum cap: 21. nec non & alii Patres.

Quid Sacrificium, quidve per illud repræsentatur?

NOTA 4tò. Sacrificium proprietalè: Est Oblatio externa à legitimo Ministro facta soli Deo, quâ ad agnitionem humanæ infirmitatis, & Professionem Divinæ Majestatis, res aliqua sensibilis & permanens, ritu mystico consecratur & transmutatur. Sacrificium Missæ est Oblatio Corporis & Sanguinis Christi sub speciebus panis & vini, à legitimo Ministro, facta Deo, per immulationem & potestationem, Deũ

esse

esse Auctorem vitæ & necis. In Missa Sacrificium cruentum crucis repræsentatur per Consecrationem utriusq speciei: nempe panis, & vini: quia sicut in Cruce Corpus à Sanguine fuit separatum physicè: ita in Missa separatur Mysticè: quia vi horum Verborum: *Hoc est Corpus meum:* ponitur formaliter solùm Corpus: siquidem per prædicta Verba, solùm Corpus, exprimitur, non verò Sanguis: licèt etiam Sanguis ponatur concomitanter, id est in vi unionis, quam habet cum Corpore, & vi horum verborum: *Hic est Calix Sangvinis &c:* ponitur formaliter solus Sanguis: licèt concomitanter ponatur etiam Corpus Christi. Item Christus in Missa immolatur moraliter per hoc, quia ponitur in tali statu, in quo non est aptus ad omnes usus pristinos: in Missa enim redditur comestibilis, qualis non fuit ante consecrationem: qua de Causa etiam apud Veteres, in Sacrificium Deo effundebatur oleum, vel alius liquor, qui per talem effusionem non immutabatur physicè, sed moraliter: quia reddebatur ineptus ad usus illos, ad quos antè aptus erat.

In quo consistit Sacrificii Essentia?

NOTA 5tò. Si quæratur in quanam Parte Missæ consistit propriè, Essentia Immolationis seu Sacrificii? Respondetur 1mò Essentia Immolationis seu Sacrificii in Missa, etiam partialiter non constitit in Oblatione Verbali Panis & Vini, facta ante Consecrationem: Nec in Oblatione externa Corporis & Sanguinis Christi, quæ post Consecrationem fit illis Verbis: *Offerimus præclaræ Majestati tuæ, &c:* Ratio est. Tum quia hæc utraq Oblatio non est à Christo, sed ab Ecclesia, & quidem in ea, non semper fuit. Tum quia Essentia Sacrificii consistit in Immutatione rei oblatæ, ad protestandum Auctorem vitæ & necis: Oblationes verò illæ non fiunt per immutationem rei oblatæ: sunt enim tantummodò verbales. Adverte, dum Sacerdos tenens patenam cum Hostia, dicit: *Suscipe Sancte Pater &c: Hanc Immaculatam Hostiam, quam offero pro peccatis, &c.* Verba illa non intelliguntur de substantia Panis, sed prout brevi post erit (conversa nempe in Corpus Christi) ad tempus proximè subsequens intentione

tione Sacerdotis. Item illa verba: *Offerimus tibi Domine Calicem salutaris.* similiter intelligenda sunt &c: diciturq *Calix salutaris*, hoc est, *Calix Salutaris Sanguinis Christi*, brevì ibi futuri. Respondeo 2dò. Nec Essentia Sacrificii consistit partialiter in mixtione, aut fractione Sacræ Hostiæ. Ratio est, quia mixtionem Christus non adhibuit in Cæna ultima, & tamen verè Sacrificauit, nec Christus ibidē fractionem fecit, nisi ad usum distributionis: et veriùs ante consecrationem. Respondeo 3tiò. Essentia Sacrificii consistit in Consecratione. Ratio est. Tum quia ita docent SS: Patres: Irenæus, Cyrillus, Ambrosius, Gregorius Nyssenus, S. Thomas & alii quos refert Vasquez & Lugo. Tum quia ut constat ex Notato 4to, Consecratio est maximè expressa significatio Sacrificii Crucis, aptissimèq per illā significatur, Deum esse Auctorem vitæ & necis. Licèt verò consecratio non sit Oblatio explicita & in actu signato, est tamen implicita, & in actu exercito. Communio verò Sacerdotis quamvis non sit de Essentia Sacrificii, ut communiùs docetur: est tamen extrinsecum complementum Sacrificii, ex Christi præcepto necessarium. Ex his habetur, die Parasceves non fieri propriè Sacrificium, siquidem non fit tunc Consecratio Hostiæ, sed tantùm consumptio Hostiæ, præcedentis diei Sacrificio immolatæ.

De Essentia Sacrificii Missæ est Consecratio sub utraq specie.

NOTA 6tò. Si quæratur, an de Essentia Sacrificii Missæ sit Consecratio sub utraq specie? Respondetur Affirmativè. Ita communiter Doctores contra aliquos. Ratio est. Tum quia Christus hoc Sacrificium in Cæna ultima instituit sub utraq specie. Tum quia Sacrificium Missæ est repræsentativum Sacrificii Cruenti in Cruce peracti, ut docet Tridentinum: proinde debet esse repræsentatio Sanguinis separatim à repræsentatione Corporis, & è contra. Et quamvis sub speciebus Panis sit etiam Sanguis, per concomitantiam, non tamen ita clarè repræsentat effusionem Sanguinis in Cruce factam, sicut illam vi verborum repræsentat seperata positio Sanguinis sub speciebus vini, quam claram repræsentationem voluit Christus esse intrinsecam Sacrificio

Missæ, ut ostendit Tridentinum: non minùs, quàm idem Christus, in forma Baptismi, voluit exprimi clarè omnes tres Personas, & non tantùm implicitè sub nomine Trinitatis. Ex quo etiam oritur quòd, si Sacerdos post consecratam Hostiam moreretur ante consecrationē Calicis, deberet alius Sacerdos consecrare Calicem, & Sacrificium complere.

Porrò si quæratur, in quibusnam verbis consistat Consecratio? Respondeo. Certum est 1mò apud Theologos, Consecrationem Panis in Corpus Christi, consistere essentialiter in his verbis: *Hoc est Corpus meum*. Consecrationem verò Calicis, consistere in his: *Hic est Calix Sanguinis mei.* vel in istis: *Hic est Sanguis meus.* Controversum tamen aliquo modo est, an in his solis consistat. Scotus enim, cùm quibusdam docet, hæc etiam verba præcedentia: *Qui pridie quàm pateretur &c*: spectare ad Essentiam Consecrationis, aut certè ita necessaria, ut sine illis non perficiatur Consecratio. Pleriq́ item Thomistæ censent, essentialiter necessaria esse ad Consecrationem Calicis, Verba etiam hæc: *Novi & æterni Testamenti &c.* Cōmuniùs tamen docetur cum Magistro Sententiarū, Alensi, S. Bonaventura, Durando, Aureolo, Suarez, Vasquez, Bellarmino, Lugone, & aliis, formam Essentialem, quâ consecratur Panis, consistere in his solis quatuor Verbis: *Hoc est Corpus meum.* sufficienter enim hæc Verba significant præsentiam Corporis Christi sub speciebus Panis, sufficienterq́ determinantur ad significandum Corpus Christi, non Sacerdotis, illa proferentis, per hoc, quod Sacerdos illa proferat, ut gerens Personam Christi. Verba etiam hæc: *Hic est Calix Sanguinis mei*, antecedenter ad ista sequentia: *Novi & æterni Testamenti &c*: completè significant conversionem vini in Sanguinem Christi, proinde illam operantur. Conceditur tamen, illa verba esse pronuncianda necessitate præcepti, sed non necessitate Sacramenti. Certum 2dò. Non spectare ad valorem Consecrationis, Orationem, quæ post Consecrationem adhibetur à Græcis, hanc: *Rogamus te S. Pater, mittas Spiritum tuum super nos, & super hæc apposita munera, & fac Panem istum, pretiosum Corpus Filii Tui: & quod est in Calice*

In quibus verbis consistit Consecratio?

lice isto, pretiosum Sanguinem Christi Tui. Certum inquam, quidquid cõtradicant, non pauci Græci Schismatici. Ratio est. Quia illa Oratio non est instituta à Christo, qualis tamen debet esse Forma Consecrationis. Nec obest, quòd dicta Oratio habeatur in Liturgiis S S. Jacobi, Marci, Basilii, Chrysostomi &c. Respondetur enim, vel immutatum jam istius Orationis Ordinem, eamq olim præcessisse Verba Consecratoria: Vel per eam tantùm peti Confirmationem rei jam factæ: vel solùm postulari, ut fiat in salutem suscipientibus. Et in hoc ultimo sensu istam Orationem explicârunt in Concilio Florentino ipsimet Græci per deputatos suos quatuor Episcopos, nempe Russiæ, Nicææ, Trapesuntii, & Mitilexes.

Missa, qualis vox, & quid denotat?

NOTA ultimò. Hæc vox *Missa*, est antiquissima. Nam S. Ambrosius lib: 5. Epist 33. ait: *Ego mansi in munere, Missam facere cæpi, orare in oblatione Deum, ut subveniret.* Et S. Augustinus Sermone 91. de Tempore dicit: *In Lectione, quæ nobis ad Missas legenda est, audituri sumus &c:* Probabiliùs est, vocem hanc esse latinam deductam à verbo *Mitto:* vel quia Oblatio & preces ad Deum mittuntur: vel *quia* (ut vult S. Thomas 3.p. q.83. art: 4. ad 9.) *per Angelum, Sacerdos preces ad Deum mittit: sicut populus per Sacerdotem: vel quia Christus est Hostia nobis missa à Deo.* vel demũ quia populus finitô officio seu Liturgia, mittitur, seu dimittitur. Dixi *Probabiliùs*. Quia Card: Baronius Tomo 1. Annal: ad Ann: 34. cum pluribꝰ non improbabilirer censet, esse vocem hebræam: nam Missah significatOblationẽ voluntariam, ita accipitur Deuter: 16. v.10. *Oblationẽ spontaneã* (in hebræo est Missah) *manus tuæ offeres Domino Deo tuo.*

Eidem Domino Deo UniTrinoq, omnis meus qualiscunq
labor, in hac cõscribenda Defensione Theologiæ Scholasticæ, Tractatibus 5. cõprehẽsa, susceptus, cedat inOblationem benè placentem,
MAJOREMQ; IPSIUS
* *GLORIAM* *

* *

INDEX



INDEX
RERUM NOTABILIORUM, QUÆ IN HOC LIBRO CONTINENTUR

A

B

C

Petrus

Vi-

FINIS

ERRATA

PAgina 2. v. 20. lege audivisse. p. 13. v. 11. Theologos. p. 18. v. 12. heterodoxus. p. 19. v. 27. ad annum. p. 21. v. 16. illuminatæ. p. 27. v. 6. & v. 23. Personalitates. p. 30. v. 19. Spiritus. p. 36. v. 6. falsitates. p. 47. v. 5. Doctores. p. 54. v. 21. fruetur. p. 55. v. 3. Sanctificationi. p. 72: v. 12. fides. p. 74. v. 20. titulo. p. 75. v. 4. Justitiam. p. 77. v. 8. falsum. p. 87. v. 20. adversùs. p. 98. v. 12. voluntatē. p. 109. 25. synonymia. p. 115. v. 5. expugnator. p. 118. v. 24. uberiorem. p. 127. v. 3. Christus. p. 133. v. 20. tamen. p. 141. v. 6. adstringi. p. 151. v. 1. objecerunt. p. 152. v. 26. Communicando. p. 156. v. 29. mortificatione. p. 164. v. 31. immolationem. p. 165. v. 18. consistit.

